/30

31/1

BIBLIOTHECA

FF. PRÆDICATORUM

CONVENTUS

CIVIT. BENITIÆ

Lit. E 6

Pl. 4

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

9h
Fet.
1.50

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

# DE BAPTISMO PARVULORUM
# IN PRIMITIVA ECCLESIA

## DISSERTATIO

## THEOLOGICO-HISTORICO-CRITICA

P. FRANCISCI RISI

CC. RR. INFIRMIS MINISTRANTIUM

ROMÆ

EX TYPOGRAPHÆO JOSEPHI VIA

1870.

# AMICE LECTOR

*Antequam hujus Opusculi conscribendi consilium, perspectum habeas, de ejusdem scriptionis ordine, ae ratione pauca libens accipe. Probaturus praxim adducendi parvulos quosque ad baptismum, primitivae Ecclesiae a Christo, et Apostolis edoctae fuisse usitatissimam, non ultra sex priora saecula demonstrationis lineas producendas existimavi: documenta vero, quorum magna suppetebat copia et multitudo, ne confusionem parerent, juxta successionem temporum disposita, et propria annorum nota quantum licuit distincta exhibui. Praeter documenta passim afferri solita, permulta et saepe valde insignia a me sollicite conquisita, et primum producta cernes: eaque ipsa quae dixi vulgata et comunia, non ex aliorum. ut facile fit, manibus accepi, sed e suis fontibus in usum meum derivavi. Graecos et latinos textus excerpsi ex completo Patrologiae cursu, qui non ante multos annos Lutetiae Parisiorum prodiit, curante I. I. Migne; cui quidem recensioni, quae sola erat in promptu nimium fidens, quaedam exciderant, quae ut ad severiores criticae leges revocarem, auctor fuit D. Henricus Fabiani, vir apprime doctus, et omnigena eruditione*

3333

*exornatus. Ad argumentum quod attinet huic commentariolo subjectum, mere historicum non est, sed habet cum Theologia arctissimam conjunctionem: nimirum non solum consuetudinis existentiam, et extensionem investigare mihi in animo fuit, sed ejus etiam indolem, valorem, characteres expendere, quae eam origine Apostolico – Divinam, et natura sua oeconomiae Redemptionis, Ecclesiaeque sapientiae congruentem produnt. Habes itaque, cur hanc Disertationem, Theologico historico-criticam nuncupaverim. Ea vero est ejusmodi, quae possit, favente Patre luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, Theologiae Catholicae studiosis esse utilis, et possit etiam paedobaptismi osores, jam non admodum, ut eorum parentes a traditione aversos, ad saniorem mentem reducere, qua spe illectus eam edere statui, utque emendatissima lucem aspiceret, diligenter curavi. Vale.*

# PRÆFATIO

Cum saeculo XVI ineunte, Anabaptistae ac Mennonitae, amplissimam Baptismi gratiam ad solos adultos definientes, jus eundi ad Christum possessionemque Regni caelestis parvulis adimerent, non modo Catholici, sed cordatiores etiam Protestantes, perniciosam haeresim refellere aggressi, antiquam Ecclesiae praxim rimari coeperunt, atque in ea causae suae praesidium, etsi solis Catholicis inconcussum, collocabant. Documenta siquidem antiquitatis quae paedobaptismum praeferunt, dum ex una parte nobis exhibent traditionem divino-apostolicam, habent ex altera vim subsidii hermeneutici, quo divexata Scripturae loca lumen accipiunt, ac veluti clypeo muniuntur. Optandum sane fuisset, ut omnes Catholici dogmatis defensores, omnes qui pro parvulorum salute decertare vellent, validumque ipsis et efficax afferre auxilium numquam a Scriptura traditionem sejungerent: at reperti sunt tum inter protestantes, tum quod maxime dolendum ex ipsis Catholicis, viri ceteroquin doctrina, ingenio, eruditione praestantes, qui certum conficiendae victoriae iter deserentes, anabaptistis eousque faverent, ut quamvis aperte non dicerent, parvulos incapaces esse Baptismi, reapse tamen concederent, in

primitiva Ecclesia nonnisi adultos sacro baptismate fuisse donatos. Ita censent Salmasius in Epistola ad Justum Pacium data sub falso nomine Simplicii Verini: Vitringa Campegius Observ. Sacr. c. 6. Wandale in Hist. Baptismi, Suicerus aliique, qui, ut inquit Binghamus « paedobaptismum pro re antiquae praxi ignota venditant, atque imprudenti sua concessione Anabaptistis suffuderunt frigidam. » E nostris autem fatendum est, neminem utroque pollice subscripsisse opinioni haereticorum praeter Ludovicum Vives, qui in Adn. ad lib. 1. S. Aug. de Civ. Dei c. 27 scribere non dubitavit. « Ne quis fallatur, nemo olim sacro admovebatur Baptisterio, nisi adulta jam aetate, et cum idem ipse sciret, quid sibi mystica vellet aqua, et se ablui illa peteret, et nec semel peteret (1). » At non defuerunt viri probe docti, integritate vitae, et zelo catholicae fidei insignes, qui opinioni illi plus aequo indulgentes putent, imo et contendant « *Ecclesiam primitivam nonnisi adultis plerumque contulisse baptismum, saequiori autem aevo etiam infantes extra periculum vitae constitutos ad baptismum adduci jussisse* » quod ita ratum, ac persuasum habent, ut statim inferant « *hanc praxeos differentiam et mutationem cum sapienti Ecclesiae oeconomia nullo pacto pugnare.* » Non est igitur dubium, ad istorum mentem Ecclesiam primitivam nonnisi adultis plerumque contulisse baptismum: *infantes saltem bene valen-*

(1) Et fortasse hanc ille peregrinam inauditamque sententiam non ab haereticis hausit, sed a Catholico Scriptore Walafrido Strabone, qui lib. de reb. Eccl. c. 26 primus omnium ita fidenter docuit « Notandum primis temporibus illis solummodo baptismi gratiam dari solitam, qui et corporis et mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut scire et intelligere possent, quid emolumenti in baptismo consequendum, quid confitendum atque credendum, quid postremo renatis in Christo esset servandum ».

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



*tes a baptismo prohibuisse*, deinde seriori aetate omnibus generatim tam adultis, quam infantibus etiam citra vitae periculum constitutis sacri fontis adytum patere voluisse: certumque pariter teneant, Ecclesiam, probabiles cur ita se gereret habuisse rationes: ideoque minime reprehendendam esse ejus oeconomiam, sed potius uti sapientem esse laudandam.

Si haec opinio esset mere historica, vel nullum hodiernis temporibus haberet patronum, nemo denique ea abuti posset, non esset fortasse nimis de ea satagendum; at contra haec opinio in earum genere continetur, quae dogmatis fines attingunt, et viris placet qui auctoritate et ingenio gaudent, et cum nostra saecula libertatem credendi ubique sonent, potest facile ab iis qui tali peste laborant in perversum trahi. Quid enim illis, qui blaterant liberum esse Baptismum: neminem adstringi promissionibus alienis suo nomine factis, religionem non esse insciis imponendam, sed voluntarie eligendam, quid inquam jucundius commodiusve potest accidere, quam si doceas in primitiva Ecclesia nonnisi adultos, rationis usu pollentes ad baptismum admissos, eos nempe, qui actu proprio credere possent; at infantes qui pro se respondere nequirent, nec quidquam polliceri, a sacro fonte prohibitos, et ad grandaevam aetatem dilatos? Haec mecum animo reputans, non abs re esse putabam, nec inanem prorsus operam facturum si talium virorum, quorum merita suspicio, ac benevolentia fruor, sententiam paullo diligentius excuterem, et utramque ejus partem, quae nimirum adstruit praxim, quaeque rationabilem illam et sapientem affirmat ad vetera monimenta exigerem, et ad sapientem Ecclesiae oeconomiam. Id porro, cum prout vires suppetunt praestiterim, hunc percepi la-

boris ac diligentiae meae fructum, ut validius in ea sententia firmarer, quam anticipato quodam judicio ex concentu doctrinae, et Catholici sensus impulsu tenebam, videlicet 1.° primis Ecclesiae temporibus, etsi nulla aderat lex positiva universalis praescribens christianis parentibus tempus natos suos regenerandi, consuetudinem tamen viguisse baptizandi infantes, nullo facto discrimine inter eos, et adultos; rursumque inter eos qui in aliquo vitae periculo versarentur, et qui bona uterentur valetudine: 2.° dilationem baptismatis ad mortis articulum, vel ad provectam aetatem, cujus frequentiora exempla sequiori aevo conspiciuntur, non ab Ecclesiae jussione vel consilio vel praxi ortum habuisse, sed vel potius a disciplinae relaxatione, vel a privatis et peculiaribus causis, quas universim Patres improbant, et explodunt: 3.° consuetudinem baptizandi parvulos indefinite acceptam, utpote originis divino-apostolicae et dogmati consertam, non esse mutationi obnoxiam, sed necessario custodiendam: 4.° proinde hanc consuetudinem solam esse, quae sapienti Ecclesiae oeconomiae conveniat: aliamque si quae fingeretur ab eadem sapienti Ecclesiae aeconomia abludere ac dissidere: quae omnia ut mihi patuerunt, ita aliorum quoque oculis ut clarescant perspectaque sint, suo quaeque ordine exponere aggredior.

# CAPUT 1.

## *Praxis paedobaptismi stabilitur testimoniis trium priorum saeculorum*

### § I.

Clementis Romani testimonio cur non utimur – Hermae locus pro paedobaptismo satis efficax. – Pueri in ipso nascentis Ecclesiae exordio disciplina Christiana imbuti, inter fratres credentes adlecti – Justinus. Acta S. Andreae Apostoli. – Relatio Plinii ad Trajanum.

1. Documenta ecclesiastica ad primum saeculum pertinentia non admodum multa supersunt: neque genuina sunt omnia, et quae carent omni labe suppositionis, sicut nil continent quo sententia nostra infirmari queat, ita nullum suppeditant clarum locum, quo diserte, explicite ac directe adstruatur. Citantur a Binghamo aliisque sacrae antiquitatis studiosis verba Clementis Romani 1. Cor. c. 17. « Adhuc autem, et Job seipsum accusans, dicit: Nemo mundus a sorde, etsi unius diei est vita ejus » (Job. c. 14. 4. juxta LXX. c. 17), sed haec peccati originalis propagationem directe respiciunt, et ex consequenti continent necessitatem, non vero praxim baptizandi parvulos. Validius nobis adstipulatur Hermas, vir apostolicus (1), qui in libro *Pastoris* ti-

(1) Non constat inter eruditos, num iste sit Hermas a Paul. salutatus Rom. XVI. 4 an Hermes S. Pii I frater. Hinc duplex opinio circa tempus quo Visionum ac Similitudinum libri prodierunt. Ex recentioribus nonnulli eos post tertium decennium, vel circa medietatem saeculi secundi conscriptos opinantur: alii, quorum sententiam propius ad veritatem accedere putat Illmus Jos. Fessler Inst. Patrolog. T. 1, circa finem saeculi primi. Favent indicia intrinseca ex. gr. c. IV Vis. 2, ubi Ecclesia Hermam alloquens, mandat ut exhibeat Clementi libellum in omnes exteras civitates, suprema illius auctoritate transmittendum. « Scribes ergo duos libellos, et mittes unum Clementi ..... Mittet autem Clemens in exteras civitates: illi enim permissum est. »

tulo insignito Vis. 3 c. 3, refert sibi ostensam esse Ecclesiam instar turris aquis superstructae, ad significandum vitam et salutem eorum qui ad Ecclesiam pertinent a Baptismo pendere ac produci (1): et inferius sententiae hujus vim explanans, « Antequam, inquit, accipiat homo nomen Filii Dei, morti destinatus est; at ubi accepit illud sigillum (nempe baptismum) liberatur a morte, et traditur vitae. Illud autem sigillum, aqua est, in qua descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitae assignati ». Hujus vero sigilli necessitatem exponens Hermas, eousque progreditur, ut contendat, etiam justos, qui ante Domini incarnationem obierunt, non aliter potuisse ingredi Regnum Dei, quam ut deponerent mortalitatem prioris vitae. « Illi igitur defuncti, sigillo Filii Dei signati sunt, et intraverunt in Regnum Dei (2). » Quae hic dicuntur ab Herma de absoluta necessitate baptismi, quam extendit etiam ad justos veteris testamenti, non possunt ullo modo componi cum dilatione ejusdem baptismatis, cui periculum abscedendi cum obligatione mortis omnibus hominibus comuni, indivulsus haeret comes. Nulla certe potiori ratione baptismi cunctationem reprehendunt Patres, quam quae ex hujusmodi periculo deducitur: quo pariter ex fonte fluit sollicitudo Ecclesiae in parvulorum baptismate accelerando. Cum igitur ea

(1) « Turris quam vides aedificari, ego sum Ecclesia. Quare turris aedificata est super aquas Domina? ... quoniam vita vestra per aquam salva facta est, et fiet ».

(2) « Singularis sane, inquit Lumper, haec esset opinio, si Pastor vellet hic intelligi de baptismo aquae; puto autem ego, cum cl. Fleuryo H. E. T. 1 lib. 2 § 46, sermonem hic fieri de gratia baptismi, imo potius, sicut optime advertit Cotelerius, T. 1 Opp. SS. PP. App. p. 117, de baptismo metaphorico et omnino spirituali, prout conveniebat animabus a propriis corporibus separatis. » Hist. theol. crit. de Vit. Script. et Doctr. SS. PP. in Past. Hermae Observ. Dogm. Art. 1 § III.

quae scribit Hermas cum dilatione baptismi pugnent, cum ejusdem sollicita receptione conveniant, fas inde est colligere, viguisse Apostolorum aevo disciplinam, quae parvulos ab obligatione mortis eximeret, regnique caelestis participes efficeret.

2. Eadem Apostolica aetate Christianae Religioni aggregata fuerat illa virginum multitudo, quam S. Justinus M. (4) Christianorum innocentiam vindicans paganis objiciebat, Apolog. 1 num. 15. « Ac multi quidem, et multae annos sexaginta, et septuaginta nati, *qui a pueris* Christi disciplina imbuti sunt, incorrupti perseverant: talesque in omni hominum genere monstraturum me profiteor (*) ». Pueros quoque cernimus inter eos, quos maxima frequentia, e tota Achaja S. Andreas Apostolus Christo acquisierat, et ad ejus martyrium spectandum confluxisse legimus. « Adstabat autem multitudo magna ἀδελφῶν *fratrum* quasi viginti millium etc. (**) » ad quos Beatus Andreas sermonem convertens « O Vos, inquit qui me circumstatis, viri, fæminae, *pueri*, senes, liberi, servi, et quicumque me audire vultis, oro vos, qui propter me huc convenistis,

(4) Apologiam primam pro Christianis obtulit Justinus Imp. Antonino Pio an. Chr. 150: cum autem sexagenariae, et septuagenariae aetatis cultores Christi ethnicorum admirationi proponat, hi profecto in secunda medietate saeculi primi christiana disciplina imbuti dicendi sunt, quo scilicet tempore S. Clemens Rom. binas ad Virgines direxit epistolas, quarum authenticitatem nonnulli in dubium revocant, etiam postquam eam strenue propugnavit Emus D. Clemens Willecourt, an. 1853.

(*) Καὶ πολλοί τινες καὶ πολλαὶ, ἑξηκοντοῦται καὶ ἑβδομηκοντοῦται, οἵ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ ἄφθοροι διαμένουσοι. καὶ εὔχομαι κατὰ πᾶν γένος ἀνθρώπων τοιούτους δεῖξαι.

(**) Παρισταμένου δὲ ὄχλου πολλοῦ τῶν ἀδελφῶν σχεδὸν ὡσεὶ χιλιάδων εἴκοσι

omnibus vitae praesentis valedicite, et festinate animam meam suscipere ad caelestia tendentem, universa omnino temporalia contemnite, confirmantes propositum *credentium Christo* (*) ».

3. Denique sub exitum saeculi primi inter eos qui Christum colebant, et ob ejus nomen in discrimen adducebantur fuisse etiam pueros, discimus a teste externo Plinio, nimirum Propraetore Bythiniae, qui in sua relatione ad Trajanum « cognitionibus de christianis, inquit, interfui numquam: ideo nescio quid, et quatenus aut puniri soleat, aut quaeri. Non mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum? an quamlibet *teneri*, nihil a robustioribus differant? detur ne poenitentiae venia?.... Visa est enim mihi res digna consultatione maxime propter periclitantium numerum. Multi enim *omnis aetatis*, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur etc. » Quamvis porro neque Justi-

(*) Ἄνδρες, οἱ παρεστῶτές μοι καὶ γυναῖκες, καὶ παῖδες καὶ πρεσβῦται, δοῦλοι καὶ ἐλεύθεροι, καὶ ὅσοι μέλλετε ἀκούειν, δέεμαι ὑμῶν, πάντα τὸν βίον τοῦτον ἀπολίπετε, οἱ ἕνεκεν ἐμοῦ συνεληλυθότες ἐνταῦθα, καὶ σπεύσατε καταλαβεῖν τὴν ἐμὴν ψυχὴν ἀπαγομένην πρὸς τὰ οὐράνια, καὶ πάντων ἀπαξαπλῶς τῶν προσκαίρων καταφρονήσατε, ἐπιστηρίζοντες τὰς διανοίας τῶν πιστευόντων τῷ Χριστῷ. Ili ergo pueri erant de numero fratrum, ἀδελφῶν, et eorum quos Apostolus profitetur se Christo acquisivisse: Ἀπέστειλεν γάρ με ὁ Χριστὸς εἰς ταύτην τὴν ἐπαρχίαν, εἰς ἣν οὐκ ἐλάχιστον δῆμον τῷ Χριστῷ περιεποιησάμην.

De hac Epistola Presbyt. et Diaconorum Achajae, in qua Martyrium S. Andreae narratur late disserit Gallandius (Vet. Pat. Bibl. 1. Prol. p. XXXVIII) qui disjectis criticorum argumentis contra ejus authenticitatem, censet an. Chr. 80 exaratam fuisse, scilicet paulo post consummatam S. Apostoli passionem. Neque vero rei nostrae obest, si dicamus cum Neotericis nonnullis hanc Epistolam Manicheismum redolere, et Manichaei hominis foetus esse judicandam. Semper enim erit monumentum traditionum, quae de Martyrio S. Apostoli oretenus inter Christianos circumferebantur.

nus, neque Achajae Diaconi, neque Plinius Secundus dicant hos pueros baptismate fuisse initiatos, id tamen satis eruitur ex eo quod dicantur *christiani, fratres christianorum, Christo acquisiti, Christi disciplinâ imbuti.* Haec interim quae ex primo Ecclesiae saeculo attulimus, si non efficaciter exhibent praxim baptizandi infantes jam tum extantem, eam tamen sufficienter innuunt, et haberi possunt veluti germina illius demonstrationis, quae ex accessione documentorum subsequentium temporum undequaque evoluta, et invictissima efflorescit.

## § II.

Eadem praxis comunis in Ecclesia, vulgataque ostenditur II ac III saeculo - Irenaeus - Tertullianus - Recognitiones Clementinae - Constitutiones Apostolicae - Origenes - Fidus - Cyprianus - Synodus Carthaginensis.

4. S. Lugdunensis antistes Irenaeus, a viris Apostolicis in pietate ac fide institutus (1), libro 2. adversus haereses c. 22 al 39 refutans Gnosticorum commentum, quod triginta anni quibus Christus ad baptismum venit repraesentaverint 30 Aeonas, insigni inter caeteras usus est sententia, quae parvulorum baptismo mirifice favet « Triginta quidem annorum, ait, existens (Jesus) cum veniret ad Baptismum, deinde magistri aetatem perfectam habens venit Hierusalem, ita ut ab omnibus juste audiret Magister: non enim aliud erat, et aliud videbatur, sicut in-

(1) In Ep. ad Florin. et lib. 3 adv. haer. memorat Irenaeus se adhuc puerum Praeceptorem habuisse magnum Polycarpum Smyrnensem Episcopum. Porro duo priores libri videntur procul dubio exarati ante an. 171: in his enim censum describens haereticorum, Encratitas cum Tatiano tamquam novissimam sectam commemorat, praeterit autem Cataphrygas, qui juxta Eusebii Chronicon Ecclesias Asiae et Phrygiae infestare coeperunt an. M. Aurel. Antonini XVII. Christi 171.

quiunt qui putativum introducunt, sed quod erat hoc et videbatur: Magister ergo existens, Magistri quoque habebat aetatem non reprobans, nec supergrediens hominem neque solvens legem in se humani generis, sed omnem aetatem santificans per illam quae ad ipsum erat similitudinem. Omnes enim venit per semetipsum salvare : *omnes inquam qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et juvenes, et seniores. Ideo per omnem venit aetatem, et infantibus infans factus est, sanctificans infantes; in parvulis parvulus,* sanctificans hanc ipsam habentes aetatem, simul et exemplum illis pietatis effectus, et justitiae, et subjectionis in juvenibus juvenis, exemplum juvenibus fiens, et sanctificans Domino » Asserit hoc in loco Irenaeus finem adventus Christi fuisse salutem humani generis, ideoque transiisse per omnes vitae humanae gradus ut omnem aetatem sanctificaret: lex autem, et veluti conditio sanctificationis est, ut homines per Christi merita renascantur in Deum, quod in Baptismate contingit: ergo nedum infantes juxta Irenaeum ad Baptismum admitti possunt, sed nefas est eos a Baptismate arcere ; cum enim sit baptismus commune sanctificationis medium quoad omnes aetates, relate ad infantes unicum est ac singulare: si ergo parvuli a baptismo arceantur prima aetas nullo modo sanctificabitur: quod est contra causam finalem adventus Christi, qui idcirco infantium non respuit aetatem, ut eam quoque sanctificaret.Jamvero haec loquendi ratio supponit praxim baptizandi infantes Irenaei aetate passim in Ecclesia usurpatam, ac sine ullo infantium discrimine. Sistit enim Irenaeus oeconomiam Domini conjunctam cum sanctificatione infantilis aetatis veluti causam cum suo effectu « Ideo per omnem venit aetatem » et loquitur de sanctificatione actu praestita

« renascuntur » et generatim praestita infantibus sine ulla exceptione, sicut aliarum aetatum hominibus (1).

5 Non longe ab Irenaeo remotus inclaruit Q. Sept. Florentius Tertullianus (2), qui libro de Baptismo cap. 18, disputat quidem contra praxim baptizandi parvulos ratione adhuc non utentes: sed ipsa ejus disputatio tanto eam confirmat fortius, quanto vehementius convellere molitur. En ejus verba: « Itaque pro cujusque personae cunctatione ac dispositione, etiam aetate Baptimi cunctatio utilior est: praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malae indolis falli. Ait quidem Dominus. Nolite illos prohibere ad me venire Math. XIX 14. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur. Fiant Christiani cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum ? Cautius agetur in saecularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris ». De hac peregrina Tertulliani sententia, deque rationum quibus nititur pondere, recurret postea opportunior dicendi occasio: nunc autem velim probe animadverti, quod ex ipsa textus inspectione prima veluti fronte occurrit: ni-

(1) Paria sunt quae habet S. Bernardus Serm. 66 in Cantica, ubi contra Petrobusianos, et Henricianos negantes valide baptizari infantes, demonstrat omni hominum conditioni provisa esse a Christo media salutis, parvulis autem baptismum, atque ita concludit « Nam et Christus propter hoc mortuus est, et resurrexit, ut vivorum dominaretur, et mortuorum Rom. XIV. 8. Propter hoc quoque, et infans natus est, et per singulos aetatum gradus profecit in virum, ut nulli deesset aetati. »

(2) Librum de Baptismo adversus Quintillam assignat Pamelius anno 204. P. Septimio M. F. Geta, et L. Septimio Plautiano II. Coss. S. Zephirini Rom. Pont. V. et Severi Imperatoris XI.

mirum, I. opus non fuisse Tertulliano persuadere tam energice cunctationem Baptismi parvulorum, nisi jam inolevisset usus eos baptizandi; in rem siquidem minime extantem perperam quis invehitur, et inepte profunditur oratio, ut persuadeatur quod jam ubique custoditur: 2. usus sponsorum, seu Patrinorum, a Tertulliano memoratus evidentissime confirmat praxim paedobaptismi rite jam, et indiscriminatim constitutam: hi enim semper adhibiti sunt in parvulorum baptismo, ut pro ipsis spondeant fidem, vitam christianam, ac ulterius sedulo curent, ut suscepti infantes cum adoleverint, elicitas ipsorum nomine promissiones fideliter, accurateque adimpleant: 3. singularem Tertulliani opinionem a recepta consuetudine dissonam portendunt verba immediate subjecta. « Non minore de causa *innupti* quoque procrastinandi, in quibus tentatio praeparata est tam *virginibus* per maturitatem, quam *viduis* per vagationem, *donec* aut nubant, aut continentia corroborentur. » Jamvero nunquam in Ecclesiae catholicae more positum fuit prohibere a baptismo viduas, ac virgines eo nomine quod periclitaretur propositum tenendae continentiae, ob tentationes quibus forent obnoxiae: redolet id rigidum Tertulliani characterem: ergo similiter judicanda sunt, quae Tertullianus habet adversus Baptismum infantium, videlicet e penu sui ipsius ingenii deprompta, atque ab Ecclesiae institutis aliena.

6. Recognitionum libri Clementi Romano falso adscripti, si non sunt Tertulliano antiquiores, ipso tamen adhuc vivente, in lucem prodiisse merito existimantur (1).

(1) De his libris haec habet Gallandius Vet. Patr. II. 32 ex hist. litter. Aquilej. V. C. Justi Fontanini lib. 5 c. 10. « Libri auctorem tertio demum Christi saeculo vixisse duo produnt: Unum quod ex Bardesanis

In horum autem librorum sexto § 9 commendatur vis baptismi; ejusque necessitas eo rationum genere, quae non adultos modo, sed infantes etiam attingant. Omnes enim universim excitantur ad celerem Baptismi receptionem: quia omnes debent Dei voluntatem implere, ejusque mandatis obtemperare: omnes indigent nova secundum Deum nativitate, qua reparentur damna per naturalem nativitatem ab homine illata, nec nisi per undas Baptismi salutares potest anima futuris eripi suppliciis, et veluti munus electum consecrari Deo « *Omnibus* ergo festinandum est *sine mora renasci* Deo, quia incertus est uniuscujusque exitus vitae. »

7. Constitutiones Apostolicas, non esse germanum Apostolorum foetum in confesso est apud omnes criticos et theologos: at nemo diffitebitur eas esse antiquissimas, et juxta opinionem V. C. de Magistris (Acta Martyrum ad Ostia Tiberina sub Claudio Gothico dissert. de vita, et Script. S. Hyppoliti Ep. Portuens. Rom. 1795 in fol.) ab S. Hyppolito Portuensi elucubratas adversus Montanistarum ejusque sectatoris Tertulliani figmenta (1) Jamvero

Syri Dialogo de fato contra Abidam Astrologum laciniam bene longam suffuratus suam fecit. Alterum quod de Civitate Romana universo Orbi dominata non obscure loquatur. Atqui Bardesanes sub M. Aurelio Aug. floruit circa an. 171 cui dialogum suum nuncupavit: Caracalla vero circa an. 215 gentes Romano Imperio subjectas propriisque antea legibus usas in Urbis rerum dominae jura, constitutione edita, primus omnium transire jussit ». Consentit accuratus Möhler in Patr. curs. Vol. 1 in Clem. Rom. Op. II. opp. supposita. Sed Blondellus, Proleg. ad Pseudo-Isid. et Cens. Ep. 1. Clement. p. 28. Cotelerius in PP. Appost. Grabius Spicil. Tom. 1 et Nourry App. ad Bibl. Mar. Patr. p. 211. Paris. 1705 in fol. arbitrati sunt, hos libros secundo Ecclesiae saeculo confictos fuisse.

(1) Mansi Conc. T. 1. 254. Florent. 1759 censet lucubrationem hanc saeculo tertio procudi facile potuisse. Petrus de Marca Concord. Sacerd. et Imperii collectionem 85. Canonum anteriorem Synodo Nicaena posteriorem an. 258 eidem scribit. In hanc sententiam propendet Pagius in Breviar. Gestor. Pont. Rom. in Vit. Clementis § V. et seqq.

lib. 6 c. 15, ita praescribitur christianis parentibus: « Sed et *baptizate vestros pueros*, atque eos educate in disciplina ac monitis Dei. *Sinite* enim inquit *parvulos venire ad me*, et nolite eos prohibere (*).

8. Floruit eodem saeculo tertio Adamantius Origenes, quem jure appellaveris luculentissimum paedobaptismi praxeos assertorem. In eo siquidem Commentario quem in Ep. ad Romanos adornavit (1), lib. 5 in c. 6. haec ad rem nostram praeclare scribit. « Numquid *nuper editus parvulus* peccare potuit? Et tunc habet peccatum pro quo hostia jubetur offerri a quo mundus negatur quis esse etsi unius diei fuerit vita ejus. De hoc ergo etiam David dixisse credendum est illud: quia in peccato concepit me mater mea. Secundum historiam enim nullum matris ejus declaratur peccatum. *Pro hoc et Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare.* Sciebant enim illi, quibus Mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus, genuinae sordes peccati, quae per aquam, et spiritum ablui deberent. » Quae verba decretoria sunt pro nostra sententia. Non modo enim asserit Origenes morem baptizandi parvulos per omnem Ecclesiam frequentari, sed quotquot originali inquinati sunt peccato, videlicet prorsus omnes. Similia occurrunt Hom. 8 in Leviticum n. 3 (2) ». Quod si etiam placet audire quid etiam alii Sancti de ista Nativitate senserint, audi David dicentem: in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis peperit me

(*) Βαπτίζετε δὲ ὑμῶν καὶ τὰ νήπια, καὶ ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Θεοῦ « Ἄφετε γάρ, φησὶ, τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτά. »

(1) Anno circiter 246 imperante Philippo.

(2) Homilias in Levit. an. cir. 245, habitas monent Maurini editores.

mater mea: ostendens, quod, quaecumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur, et propterea dictum esse illud, quod jam superius memoravimus, quia nemo mundus a sorde, nec si unius diei sit vita ejus. Addi his etiam illud potest, ut requiratur quid causae sit, cum Baptisma Ecclesiae in remissionem peccatorum datur, *secundum Ecclesiae observantiam etiam parvulis baptismum dari*: cum utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet, et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur ». (1).

9. Sub ipsum fere tempus quo haec scribebat Origenes, nempe circa saeculi III dimidium, quaestio mota est in Africanis Ecclesiis, cujus exitus suppeditat monimentum splendidissimum ad evincendam consuetudinem rei christianae coaevam baptizandi communiter et indiscriminatim infantes nuper in lucem egressos. Fidus enim, quem nonnulli presbyterum, sed probabilius Episcopum alii faciunt, putabat non esse baptizandos parvulos intra biduum vel triduum a nativitate, sed octavum diem expectandum duplici de causa, 1. quia circumcisio cui respondet in nova lege baptismus octavo die conferebatur; 2. quia ante hanc ipsam diem infantes vulgo censebantur immundi, unde et illis ex quodam naturali horrore osculum denegabatur. Jam ex ipsa Fidi quaestione elucet contraria consuetudo Ecclesiae, cui vult obsistere duplici illa ratione, quarum altera petitur ex abrogato Synagogae mandato, altera ex ethnicae superstitionis ritu et observantia.

(1) Esset hic auctoritati R. P. Eutichiani locus, nisi Exhortatio ejus ad Presbyteros quae in antiquo Codice Vaticano legitur, spuria ab omnibus repudiaretur. Successit enim Eutichianus Felici in Romanae Ecclesiae Principatu vel postremis diebus an. 274 vel primis 275 eumque tenuit an. 8 n. 11 dieb. 3 humanis rebus exemptus an. 283 VII id. De-

10. Scripsit itaque Fidus hac super re ad S. Martyrem Cyprianum epistolam, quae lecta est in conventu sexaginta sex Episcoporum quorum omnium nomine rescripsit Cyprianus, retinendam omnino esse praxim baptizandi infantulos non expectato octavo ab ortu die, 1. quia Pastores Ecclesiae debent ad exemplum Christi cavere ne animae pereant, ideoque citra moram exhibere illis remedia salutis: « In hoc quod tu putabas esse faciendum *nemo consensit, sed universi potius judicavimus* nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat, Luc. IX 56, *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare* – quantum in nobis est si fieri potest nulla anima perdenda est ». 2. Quia recens nati infantes veri sunt homines, nihilque ipsis deest eorum quae naturam humanam constituunt, etsi secundum dierum naturalium cursum accipere incrementum videntur. « Quid enim ei deest, qui semel in utero, Dei manibus formatus est? Nobis enim atque oculis nostris secundum dierum naturalium cursum accipere qui nati sunt incrementum videntur. Ceterum quaecumque a Deo fiunt, Dei Majestate, et opere perfecta sunt ». 3. Quia una est divini muneris aequalitas apud omnes sive infantes, sive adultos; quod declarat exemplo Elisaei, qui se supra defunctum viduae puerum ita coaptavit, ut membra utriusque quodammodo aequarentur : « Esse denique apud omnes, sive infantes, sive majores natu unam divini muneris aequalitatem declarat nobis

cembris ut fert Catalogus Boucherianus. Locus autem ex illa cohortatione sic habet: « Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, vel pro reconciliandis peccatoribus, vel infirmis, aut pro mortuis sepeliendis, vel pro consecrandis Ecclesiis, praemium, aut pretium, sive munus exigat..... Videte ut per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo moriatur.»

divinae Scripturae fides. Helisaeus super infantem viduae filium, qui mortuus jacebat, ita se Deum deprecans superstravit, ut capiti caput, et faciei facies applicaretur, et superfusi Elisaei membra singulis parvuli membris, et pedes pedibus jungerentur, IV. Reg. IV, 34, quae res si secundum nativitatis nostrae, et corporis inaequalitatem cogitatur, adulto et provecto infans non posset aequari, nec cohaerere et sufficere possent parva membra majoribus. Sed illic aequalitas divina et spiritalis exprimitur, quod pares atque aequales sint omnes homines quando a Deo semel facti sunt, et possit aetas nostra in incrementis corporis, secundum saeculum, non secundum Deum, habere discrimen, nisi si et gratia ipsa, quae baptizatis datur pro aetate accipientium vel minor vel major tribuitur, cum Spiritus Sanctus, non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna aequalis omnibus praebeatur ». Idque ex eo confirmat, quod Deus non sit personarum acceptor, sed sine aetatum discrimine omnibus se per caelestis gratiae largitionem praebeat Patrem. Duplicem deinde rationem a Fido allatam refellit, ac primam quidem ex vulgari opinione, et consuetudine haustam (1). « Nam, inquit, et quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esse dixisti, quod unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad caelestem gratiam dandam impedimento esse oportere. Scriptum est enim

(1) « Est, inquit Macrobius lib. 1 c. 16. nundinum Romanorum Dea a nono die nascentium nuncupata, qui lustricus dicitur. Est autem dies lustricus, quo infantes lustrantur, et nomen accipiunt: sed is maribus nonus, octavus est feminis ». Dato, ut scite observat Fellus, infantes non ad osculum admittendos ante diem octavum, sequebatur utique non baptizandos; quilibet enim Christianus fraternitatis jure ad pacis osculum admissus ».

Tit. 1. 15 omnia munda sunt mundis: nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans a partu novus est, non ita est tamen ut quidam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat osculari: quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato et recens quodammodo exosculamur, quando id quod Deus fecit amplectimur ». Alteram quoque e circumcisione petitam difficultatem solvit observando, circumcisionis legem esse abrogatam, quia praefigurabat octavum, id est primum post Sabbatum diem quo Dominus resurrecturus erat, circumcisionem nobis spiritalem donaturus. « Propter quod neminem putamus a gratia consequenda impediendum esse ea lege quae jam statuta est, nec spiritalem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere, sed omnem omnino hominem admittendum esse ad gratiam Christi, quando et Petrus in Act. Ap. loquatur, et dicat X. 28. « Dominus mihi dixit neminem hominem communem dicendum, et immundum. » Ulterius adultos, et infantes in ordine ad consequendam gratiam eleganti oratione committit; ejusque antithesis talis est vis, ut infantibus ad salutare lavacrum ampliorem sternat viam, et prae adultis jus adscribat. Finem tandem epistolae imponens in summam colligit quae hactenus disputaverat, et sententiam non tam suam quam Ecclesiae, suorum fratrum suffragio firmatam, hisce verbis expressam exhibet, « a Baptismo, atque a gratia Dei qui omnibus misericors et pius est, neminem debere prohiberi. Quod cum *circa universos observandum sit, atque retinendum tum magis circa infantes ipsos, et recens natos observandum* putamus, qui hoc ipso de ope nostra,

ac de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim nativitatis suae ortu, plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt, quam deprecantur ».

11. Ignoscat quaeso lector, si hanc epistolam etsi longiorem, interjectis nonnullis observationibus fere integram excripserim, ex hoc siquidem amplissimo documento, quo nullum afferri potest ex heroicis Ecclesiae temporibus luculentius, facili negotio intelligitur, praxim baptizandi infantes saltem in africanis regionibus jamdiu, atque inter ipsa Ecclesiae cunabula obtinuisse. Id ostendit Fidi consilium, quo parvulos a possessione ut ita dicam sua exturbare tentabat: id patet ex unanimi dissensu Cypriani et Collegarum ejus, qui, rationibus ex principiis fidei deductis, novitati restiterunt, et pro rei praexistentis confirmatione responsum dederunt. Non erit porro superfluum animadvertere, propositam a Fido quaestionem ejusque solutionem respicere parvulos recentes ab uteris matrum generatim, ac sine aliqua restrictione, ut proinde hariolari potius, quam argumentari dicendi sint, qui nonnisi puerulos de vita periclitantes in primitiva Ecclesia tinctos comminiscuntur.

12. Praeclara sunt etiam, quibus, S. Cyprianus lib. de lapsis c. IX, multorum parentum impietatem prodit: « Ac multis proprius interitus satis non fuit. Hortamentis mutuis in exitium populus impulsus est, mors invicem lethali poculo propinata est, ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes qnoque parentum manibus, vel impositi, vel attracti amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti. Nonne illi, cum judicii dies venerit, dicent: Nos nihil mali fecimus, nec derelicto cibo et poculo Domini ad profana conta-

gia sponte properavimus. Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas. Illi nobis Ecclesiam matrem, illi Patrem Deum negaverunt. » Quem locum pro paedobaptismo insignem affert S. Augustinus, ut probet, parvulis apud Deum, nihil officere parentum perfidiam (1).

13. Ut itaque paucis multa contrahamus, in monumentis trium priorum Ecclesiae saeculorum quae supersunt, quaedam occurrunt facta et testificationes, quae vel paedobaptismi praxim supponunt, et ejusdem prima veluti lineamenta ac vestigia praeseferunt; vel eamdem praxim explicite adstruunt, diserteque confirmant ac tuentur: contra, nullum ex iisdem documentis produci potest factum, quod paedobaptismo adversetur: nulla suppetit testificatio quae infantes a baptismo remoretur, vel dilationem baptismatis extra mortis periculum consulat, supponat, aut praecipiat. Nam Tertullianum contra morem baptizandi parvulos disputantem non posse haberi uti traditionis testem, sed auctorem privatae, nec umquam probatae sententiae, abunde inferius demonstrabimus. Ergo qui autumant tribus prioribus christianismi saeculis praxim paedobaptismi ignotam fuisse, vel ex speciali Ecclesiae oeconomia minus frequentatam, nisi ex veterum silentio et carentia monumentorum opinionem suam confirment, fateantur oportet, per id temporis infantes sine discrimine ad baptismum admissos ex praxi ipsius Ecclesiae quam vel sub inchoata, vel expressiori forma prisca referunt monumenta.

(1) S. Aug. Epist. 98 al. 23 ad Bonifacium Episcopum.

## § III.

**Disquiritur mens Tertulliani circa paedobaptismum – Qui Tertullianum interpretantur de pueris, gentilium ditioni subjectis non videntur ejus mentem assequi - Communis et verior interpretatio de Baptismo universim ad adultam aetatem differendo - Hanc opinionem vix exortam Ecclesia Africana rejecit. – Schola Catholica universa Tertullianum desertorem traditionis hac in parte pronunciat.**

14. Libellum de Baptismo conscripsit Tertullianus nondum Montanista, sed Catholicus; in quo cum multa late ac praeclare disseruisset circa « Felix aquae nostrae Sacramentum (1) » utiliorem quoque esse ejus cunctationem apertissime, additisque rationibus significavit. Atqui sacrarum rerum tractatores omnes, omnes Tertulliani interpretes, si Anabaptistas excipias, et Petrum Martyrem, Bullingerum, et Calvinum ejusdemque furfuris homines, nullo pacto Septimium spectant uti testem ecclesiasticae traditionis; sed vel uti inconsultae, ac temerariae opinionis parentem deserendum putant, vel dicunt, consilium ab ipso datum respicere dumtaxat natos de fidelibus sub paganorum potestate constitutis.

15. Qui hoc secundo modo Tertullianum intelligunt, nituntur illis verbis « Quid necesse est, sponsores etiam periculo ingeri? Qui et ipsi etc. » Si enim sermo esset de pueris ingenuis et a servitutis vinculo solutis, ipsi parentes, vel sponsores, aut quovis modo Christiana societas invigilaret sedulo eorum aeducationi, ne recederent a promissis ipsorum nomine editis in Baptismo. Equidem cura Ecclesiae vel paren-

(1) De Bapt. c. 1.

tum etiam quoad istos potest evacuari : sed ad hoc periculum absolute avertendum, nemini nisi adulta jam aetate, nisi in extremo vitae limine baptismus conferendus esset: hoc autem non sensit Tertullianus , qui in libro de poenitentia arguit eos, qui, per dilationem Baptismatis ad ultimum vitae anhelitum , peccandi sibi commeatum faciunt : et hoc ipso libro *de Bapt.* vult occurrendum esse pueris quibus imminet mortis periculum: « quoniam, inquit c. 17, *reus erit perdit, hominis si supersederit praestare quod libere potuit:* » nempe baptismum. Ubi ergo suggerit Baptismi cunctationem loqui videtur de parvulis a servis parentibus genitis , qui sub arbitrio, et ditione gentilium dominorum constituti « *provectu malae indolis falli* » poterant: hoc est sive exemplis, sive minis, sive blanditiis sensim corrumpi ac depravari poterant, quin eos in promissa fide tenere valeant susceptores morte praerepti, a quibus potuissent fortasse redimi, et christianis moribus imbui. Ita Tertullianum interpretantur Pamelius, et Berti, quem videsis Theol. Disciplin. lib. XXXI. de Bapt. c. 20.

16. Quibus autem haec explicatio minus probabilis videtur, Tertullianum non habent ceu testem traditionis ecclesiasticae , idque tum suapte natura constare dicunt, tum ex eo quod neque Fidus, neque Pelagiani postea, quorum intererat dilatio Baptismi, ad eum provocarint: et Cyprianus, qui eum tamquam Magistrum venerabatur (1) ad ejus sententiam penitus non attendit, sed aliam e diametro oppositam cum Concilio suo sanxit. Quapropter tam Theologi, quam interpretes, qui Tertullianum hac ratione intelligunt, ei nuncium remittunt,

(1) Teste Hieron. in Catal. c. 53.

improbantque, quod ingenii sui severitati indulgens privatum placitum vigenti disciplinae substituere tentaverit » Haec quidem sententia, inquit doctissimus Thomas Corbinianus (1), uni Tertulliano , ( sicut etiam adhuc catholicus in nimiam semper religionem, atque severitatem propensus erat) propria, neque ab ullo antiquiorum Patrum adoptata fuerat. Dissuadentis autem solum Tertulliani illa vox fuerat, et hoc ipso contrariam, etiam in ipsis Africanis Ecclesiis, et iisdem illis temporibus consuetudinem haud ambigue significantis, uno quem scimus Tertulliano eidem contranitente, et ex rationibus quidem nulli coaevorum, aut etiam alicui Sanctorum PP. neque S. Cypriano, alias circa Baptismum tam delicato, qui tamen Tertullianum tamquam Magistrum suum assidue volutasse perhibetur , probatis.... » Tertullianus, inquit Suarez (2) .... existimat *in hoc solo articulo* (necessitatis) esse parvulos baptizandos: nam si necessitas non urgeat convenientius esse judicat annos discretionis expectare..... Sed in hoc, ut in aliis graviter erravit. » Idem docet Laurentius Berti insigne ordinis Augustiniani decus (3), ubi loquens de dilatione Baptismatis apud antiquos « Multas, inquit, dilationis hujus causas invenio , ac praecipuam illam puto, quam tradidit Tertullianus lib. de Bapt. c. 18, ubi ait utilem esse cunctationem Baptismi, quia sponsores possunt promissiones suas destituere etc. sed .... refellitur traditione perpetua ceterisque momentis alibi adductis; quamquam Tertullianus loquitur de parvulis degentibus sub potestate infidelium. « His accedit Ed-

(1) Monach. Bened. e Congr. S. Spiritus in Bavaria.
(2) De Bapt. Disp. 25 Quaest. 68 sect. 2.
(3) De Theolog. discipl. lib. XXXI. c. 20.

mundus Martenius solertissimus Christianae antiquitatis indagator, qui (1) relatis Tertulliani verbis, « haec verba, inquit, quicumque attenderit, *viros etiam Catholicos eadem percurrentes facile decipi potuisse* non diffitebitur, ita ut crederent primis Ecclesiae saeculis parvulos tinctos non fuisse; quamvis id non magis inde concludatur, quam ex sequentibus ejusdem Tertulliani verbis, innuptos non fuisse baptizatos..... Sed ad figmentum istud refellendum , unum sufficit Origenis testimonium etc. » Addendus Tournelyus Honoratus (2) «Fatemur Tertullianum.... in ea fuisse sententia, sed ab aliis SS. PP. et tota Ecclesia hac in parte *desertus est,* utpote qui infirmis admodum niteretur momentis. Unde hic observanda Vincentii Lirinensis regula Com. c. 39. « Quidquid unus vel alter Pater, quamvis ille sanctus, et doctus, quamvis Confessor, et Martyr praeter omnes, aut etiam contra omnes senserit , id inter proprias, et occultas, et privatas opiniunculas, a comunis, publicae ac generalis sententiae auctoritate secretum sit ; ne cum summo aeternae salutis periculo, juxta sacrilegam schismaticorum consuetudinem , universalis dogmatis, antiqua veritate dimissa, unius hominis sectemur errorem ». Consentiunt duo viri sapientia et auctoritate amplissimi Guillelmus Estius , et Benedictus XIV, quorum primus in Dist. IV § 28. « Utrum expediat baptismum differre in adultam aetatem? Nonnulli, inquit, tametsi agnoscant parvulos sine baptismo non posse salvari , quibusdam tamen rationibus moti magis expedire putant, ut extra mortis periculum dif-

(1) Lib. I de Ant. Eccl. rit. c. 1 art. VIII. n. 7.

(2) Praelect. Theol. T. 6 de Bapt. Quaest. 3. A. 3. Concl. Solvunt. Object. ad 2.

feratur eorum Baptismus... Fuit in ea sententia Tertullianus.... Sed refellitur hoc humanae prudentiae consilium perpetua atque universali Ecclesiae consuetudine ab Apostolica traditione descendente, qua profecto summa ratione niti qui dubitaverit, non satis considerat, quantas Ecclesia promissiones a Christo acceperit ». Alter vero lib. XII. de Synod. Dioec. c. 6 n. 7. « Tertullianus, inquit, in eam sententiam propendere visus est, ut satius esset, regenerandos ad Sacramentum Baptismi adultos accedere. Sed cum huic opinioni contraria sit Ecclesiae traditio, juxta quam infantibus recens natis quo citius fieri potest Baptismus conferri, nec in aliud tempus remitti debet, haec habenda est pro regula, eique omnino obtemperandum ». Nec aliter Bellarminus (1) Billuart (2) Drouenius (3) Liberius a Jesu (4) aliique veteres omnes, cum recentioribus, e quibus satis sit audire V.C. Joannem Perrone, qui ad objectionem ex Tertulliani verbis desumptam respondet: « Unius porro, aut alterius doctoris et patris cogitatum non esse decreto totius ecclesiae praeferendum monuit hac in re ex Vincentii Lirinensis effato ipse Gerardus Vossius, quamvis heterodoxus, allegatis prius patrum omnium antiquissimorumque conciliorum testimoniis, quae vim, virtutem et receptissimam Baptismi infantium consuetudinem tradidere (5)». Ita etiam Gazzaniga (6) Bouvier (7)

(1) C. IX. de Sacr. Bapt. ad 11 arg.

(2) Curs. Theol. ad ment. S. Thomae Tract. de Bapt. Diss. 3 art. 2 Inst. 3.

(3) De re Sacr. lib. 2 de Bapt. q. 6 c. 2 Inst. 3.

(4) Controv. Schol. Polem. de Bapt. Disp. 3 Controv. V. Ob. 5 ad 5.

(5) Tract. de Bapt. Cap. IV. de Bapt. subj. Prop. 1. II. Obj. ad 3.

(6) Prael. Theol. de Bapt. Disp. 3 c. 10.

(7) Inst. Theol. De Bapt. c. 6 de subj. Bapt. art. 1 § 1.

Liebermann (1). Denique vel ipse Rigaltius Anabaptistarum fautor in hunc Tertulliani locum scribere non dubitavit: « Sic putabat Tertullianus (*differendum esse baptismum parvulorum*) visum tamen Ecclesiae Catholicae secundum Cypriani sententiam a Baptismo et gratia neminem prohibere, ac ne infantes quidem, qui recens nati nihil peccavere, nisi quod etc. »

17. Ratum itaque est penes Theologos omnes, ac molioris notae Tertulliani interpretes, Scriptoris hujus sententiam, utpote a traditione desciscentem, numquam Ecclesiae placuisse; ac proinde patronos sententiae de ordinaria dilatione baptismatis ad adultam aetatem in primitiva Ecclesia, non posse Doctorem Afrum assertae disciplinae testem arcessere.

## § IV.

Tertulliani opinio circa paedobaptismum intrinsece inspecta, nequit referri ad propriam sui temporis conditionem, neque ad aliquam Ecclesiae oeconomiam – Rationes quibus innititur, ipsam paedobaptismi praxim impetunt et evertunt.

18. Cum autem Tertullianus non sit facti alicujus testis et expositor, sed auctor sententiae quam pluribus rationum momentis persuadere conatur (atque utinam neminem ad eam traxisset!) videndum est utrum inter has rationes aliqua sit, quam ipse e sapienti Ecclesiae oeconomia desumpserit: eam profecto, si quae fuerit, virum adeo acutum latuisse, vel ab eo fuisse neglectam, qui semel susceptam a se causam quoquo potest efficaciori modo patrocinatur, nemo arbitrabitur.

(1) De Bapt. § III. de subj. Bapt. Prop. I. Obj. 2.

Quod si hae rationes universim ad trutinam revocatae, compertae fuerint, nec e temporum qualitate profectae, nec prudentiae ecclesiasticae normae congruentes, jure inde inferemus, dilationem baptismi in moribus primaevae Ecclesiae minime positam fuisse, et Tertullianum eam suadentem, privato sensui obsecutum a recepta consuetudine deflexisse.

19. Sententiam de qua loquimur cum suis rationibus aperit Tertullianus c. 18 libri de Baptismo, ubi de subjecto istius Sacramenti sermonem instituens, ac de dispositionibus ad illud suscipiendum requisitis, monet eos quibus officium competit baptizandi, ne temere quoslibet, sine delectu baptizent : ac nonnullis Scripturae locis commemoratis, quibus cavetur, ne indigni sacrorum participes efficiantur, excusatisque a nimia facilitate Philippo, qui eunuchum, Anania, qui Paulum baptizarunt : « Itaque, concludit, pro cujusque personae conditione, ac dispositione etiam aetate Baptismi cunctatio utilior est : praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri ? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malae indolis falli. » In hypothesi doctis plerisque communi, quod Tertullianus agat de pueris etnhicorum potestati subjectis, haec ejus argumentatio videri poterit haud fortasse contemnenda : at qui blandam hanc interpretationem uti contortam respuunt, sunt autem plurimi, hi Tertulliani simul rationem eo nomine respuunt, quod sponsorum munus omnino aboleat, et infantes nullo tempore ad baptismum venire permittat : semper enim periculum est, ne sponsores promissiones suas destituant, vel ob pravam indolem adolescentis, vel quia morte praeoccupati, debitis erga susceptum curis

fungi non possint. Si qui ergo probant Tertulliani rationem, consequens est ut improbent perpetuam Ecclesiae praxim adhibendi in baptismo susceptores : at si contra sapiens est Ecclesiae praxis, Tertulliani argumentum ut insipiens et ineptum erit rejiciendum : atque huic interrogationi, « quid necesse est, sponsores etiam periculo ingeri? » quatenus videtur de medio tollere patrinorum officium, responderi poterit cum D. Thoma (1): « quod spiritualis regeneratio quae fit per Baptismum assimilatur quodammodo generationi carnali : unde dicitur I. Petri 2. Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite. In generatione autem carnali, parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis et paedagogi informando et instruendo eum quasi novitium in fide de his quae pertinent ad fidem et vitam christianam. Ad quod Praelati Ecclesiae vacare non possunt, circa communem curam populi occupati: parvuli enim, et novitii indigent speciali cura praeter communem. Et ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte quasi in suam instructionem et tutelam. » Quod si forte impediantur morte, quominus munere fungantur suo, vel si pueri crescente aetate eorum curas negligant, et contra eorum monita, instructiones, praecepta, fidem in baptismo datam fallant, seque vitiis dedant, omni certe vacabunt culpa, nulloque se periculo ingerent.

20. Prosequitur Tertullianus: « Ait quidem Dominus, Nolite illos prohibere ad me venire, Matth. 19, 14. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum

(1) P. 3 q. 67 art. 7 in corp.

quo veniant docentur, fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint. » Haec pariter ratio adeo generalis est, ut si semel admissa fuerit, numquam liceat baptizare infantes : sed non potest admitti, quia falso ex verbis Dominicis deducta, et quia a Tridentino sub anathemate proscripta fuit. Vidit nempe Septimius favere infantibus illud Christi dictum: « Nolite illos prohibere etc. quamobrem insistit in verbo *venire* ut evincat tamdiu parvulos a baptismate arcendos esse, donec firmiores effecti facultatem adepti fuerint, et per se veniendi, et discendi, noscendique Christum. Sed perperam; nam pueri, quos Christus ad se accedere permittit, erant revera primae ac tenerrimae aetatis ; verbumque *venire* ibi positum est pro *approximare*, iis nempe mediantibus, a quibus afferebantur (1). Dixi Tertulliani sententiam fuisse in Tridentino damnatam : nam Sess. VIII. Can. 13. definitum fuit. « Si quis dixerit . . . praestare omitti eorum ( i. e. parvulorum ) baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae, anathema sit: » hoc autem dicit Septimius, pronuntians utiliorum esse baptismi cunctationem, donec parvuli adolescant, doctrina imbuantur, Christum nosse potuerint. Sed ante Tridentinum haec eadem sententia confixa fuerat in Concilio Carth. an. 418. « Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat . . . anathema sit. » Nam ex constanti doctrina Patrum, puerorum imbecillitati succurrit Ecclesia, et totum supplet, quod

(1) Matt. XIX. 13. « Tunc oblati sunt ei parvuli » Marc. X. 13 « Et offerebant illi parvulos » Luc. XVIII. 15. « Afferebant autem ad illum et infantes. » Concinunt antiquae versiones Syriaca, Arabica, Aetiopica, ut videre est in Polyglotta Waltoniana. Sola versio Persica habet. « Pueri ad eum venerunt ».

illis deest et quemadmodum pueri judaeorum Mat. 19, 14. veniebant ad Christum oblati a parentibus, ita parvuli Christianorum, veniunt ad baptismum dum « portantur ad Ecclesiam : ac si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt ut sanentur. Accommodat illis Mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur : ut quoniam quod aegri sunt alio peccante praegravantur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit ; hoc a majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit. » S. Aug. Serm. 176. alias 10 de Verbis Apost.

21. Deinde Tertullianus interrogat. « Quid *festinat* innocens aetas ad remissionem peccatorum? » Recte adnotant Theologi, haec verba testificari tacite praxim quam impugnant. Sed ad rem quod attinet, videtur Tertullianus texere moras baptismati infantium, quod innocens sit eorum aetas: est autem haec ratio ita independens a constitutione temporum et locorum, ut si ea admittatur, abstinendum omnino erit a baptismate parvulorum. Sed neque antiquior, neque recentior Ecclesia petulantiores illas rigidi hominis voces admisit ; e contra sciens ex una parte « nemini sine baptismo competere salutem » (1) et ex altera « reum esse perditi hominis, qui supersederit praestare quod libere potuit » (2) infantium baptismum festinavit, « ut in illis regeneratione mundaretur, quod generatione contraxerunt ». At Cypriani vocem libentius audivit, qui eo facilius censuit baptizandos infantes, quod immunes sunt a culpis proprio actu et voluntate commissis. « Porro autem, si etiam

(1) Tertull. de Bapt. c. 12.
(2) Idem cap. 17.

gravissimis delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo, atque a gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam, hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata (1) ».

22. Addit Septimius: « Cautius agetur in sacularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur: » ergo ne prudentia Ecclesiae cedat prudentiae saeculari, tunc tantum Christianorum filios abluere debet, cum ad annos discretionis pervenerint: ratio ut patet non aliqua temporum proprietate, sed in exigentia prudentiae fundata, quae si quid valeret, etiam in hac fidei christianae luce esset a baptismo parvulorum temperandum: sed audax Tertulliani comparatio nihil valet: nam infantes dominii et administrationis bonorum temporalium non sunt capaces, et si talium bonorum traditio ipsis differtur, id in eorum cedit emolumentum, neque ullius rei jacturam faciunt: at iidem infantes baptismati suscipiendo apti sunt; et illius dilatio extremam potest illis afferre perniciem: ergo caute agunt civiles legumlatores, dum non credunt pueris terrenam substantiam, provecti hominis activitatem requirentem: sed sapientius agit Ecclesia conferens illis caeleste remedium, cujus eo majori necessitate premuntur, quo eam, nec sentire, nec verbis prodere possunt, et per imbecilliorem aetatem majoribus periculis subsunt.

(1) Cyprian. loc. cit.

23. Concludit Tertullianus « Norit petere salutem, ut petenti dedisse videaris. » Injusta sane praesumptio, quae non in aliqua extrinseca circumstantia, sed in insito infantibus defectu nititur: quem tamen defectum pia Mater Ecclesia divinae voluntatis ac benignitatis interpres plenissime supplet, et falsum esse dicit, infantes non petere salutem : « qui in primo statim nativitatis suae ortu, plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt, quam deprecantur (1) » « Quid enim si infans pro se loqui non potest, pro quo vox sanguinis sui, Fratris sui, et talis Fratris clamat ad Deum de terra ? Astat nihilominus et clamat Mater Ecclesia. Quid tamen infans ? Nonne et ipse tibi videtur inhiare de fontibus Salvatoris ? vociferari ad Deum, suisque vagitibus clamitare, Domine vim patior, responde pro me? flagitat auxilium gratiae quia vim patitur ab origine, clamat innocentia miseri, clamat ignorantia parvuli, clamat infirmitas addicti : nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui Mater Ecclesia impendit suam » (2).

24. Ex instituta igitur analysi textus Tertullianaei apparet, nullam esse rationem ab ipso allatam pro dilatione baptismatis, quae cum Ecclesiae primordiali conditione, et cum mutabilibus adjunctis conserta sit.

(1) Cypr. in cit. Ep. ad Fid.
(2) S. Bern. Serm. 66 in Cant.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



## CAPUT II.

*Usus paedobaptismi tribus insequentibus Ecclesiae saeculis undique receptus ostenditur.*

### § I.

Usum paedobaptismi ubique in Ecclesia dominantem IV saeculo ostendunt: S. Zeno Veronensis – S. Optatus Milevitanus. – S. Pacianus Barchinonensis – S. Ambrosius Mediolanensis – S. Basilius Magn. – S. Gregorius Nazianzenus. – S. Joan. Chrysostomus. – S. Didymus Alexandrinus – S. Asterius Amasenus – S. Epiphanius Constantiensis – B. Hieronymus Theologus Graecus – S. Philastrius Brixiensis – S. Hilarius Pictaviensis – S. Siricius R. P. – Concilium Carthaginense – Canon Concilii Nicaeni ex Arabica versione redditus ab Abraham Ecchellensi.

25. Nunc autem, ut illuc revertatur oratio, unde eam singularis Tertulliani opinio abstraxerat, probandum est quod initio proposuimus, nimirum disciplinam tingendi nuper editos infantes, tribus insequentibus saeculis, nulla facta distinctione, fuisse universim ac perseveranter custoditam. Testes itaque hujus observantiae pro saeculo IV daturi auspicamur a S. Zenone Veronensi, qui circa an. 362 Episcopus ordinatus plures habuit tractatus vel hortationes, in editis inscriptas: *Invitatio ad fontem*, sed in antiquissimis manuscriptis Codicibus dicuntur, *recitanda pueris ante, vel post Baptismum*. In his autem hortationibus mira suavitate ac nativo candore nitentibus, minime ambigua extat illius praxis quam defendimus testificatio. Etenim Tract. 32, quae est invitatio ad fontem III « Eja, inquit, quid statis fratres, vestram quos per fidem genitalis unda concepit, per sacramenta jam parturit, ad desiderata quantocius festinate. Ecce *vox infantum*, et dulcis vagitus

auditur : ecce parientis uno de ventre clarissima turba procedit etc. » et Tract. 43 ad Neophytos post Baptismum sic statim orditur. « Aethereas gentes, exultate, novella pignora in Christo, florentissimique hodierni spiritualis ortus vestri candorem ne quo pacto maculetis, perpeti diligentia custodite, quia nescit iterare quod praestat. Ecce *pueri*, adolescentes, juvenes, senes utriusque sexus, qui eratis rei, eratis et immundi mundana nativitate, contra omni reatu jam liberi, mundi estis infantes, et quod est admirabile, et gratum, subito, uno momento, *facti aetatibus diversis aequaevi*. (1) » Et Tract. 34. Invit. 4. « Quid statis, genere, *aetate*, sexu, conditione diversi, mox unum futuri? Fontanum semper virginis matris dulcem ad uterum convolate . . . haec est mater omnium, quae nos adunatos ex omni gente, et natione collectos, unum postmodum efficit corpus. »

26. Non desunt, qui ad probandum parvulorum baptismum provocant ad Catechesim I. Cyrilli Hierosolymitani. Nil porro in ea expresse reperitur. Veruntamen, quin Hierosolymis mos invaluerit baptizandi sine discrimine parvulos, dubitare non sinunt quae scribit antiquus auctor Itinerarii Hierosolymitani de Basilica Resurrectionis in qua Cyrillus Catecheses suas an. 347. vel 348. dixit: « Basilica, inquit, facta est mirae pulchritudinis, habens ad latus exceptoria unde aqua levatur, et balneum a tergo ubi *infantes* lavantur. »

27. Perspicua etiam sunt quae habet S. Optatus Milevis in Numidia Episcopus (2) refellens haeresim Dona-

(1) In quem locum scite notant Ballerinii, etiam senes utriusque sexus fuisse baptizatos, propterea quod Zenonis aevo post pacem Ecclesiae redditam plures ex gentibus ad Ecclesiam confluerent, ex iis ipsis, qui usque ad senectam in idololatria vitam exegerant.

(2) Scripsit inter annos 372 et 375.

tistarum, de Baptismi efficacia ex meritis et virtute ministri, atque ostendens parabolam nuptiarum perperam a Parmeniano fuisse allatam: « Sed ne quis dicat, temere a me Filium Dei vestem esse dictum, legat Apostolum dicentem, quotquot in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis, Gal. 3. 27. O Tunica semper una, et immutabilis ! quae decenter vestiat et *omnes aetates* et formas *nec in infantibus rugatur* nec in juvenibus tenditur, nec in feminis immutatur ! (1). »

28. S. Pacianus Episcopus Barcinonensis (2) Serm. de Baptismo, alloquens renatos in sinu Matris Ecclesiae, eosque cohortans ad retinendam vitam, quae sceleribus amittitur, virtute servatur : « Ante omnia, inquit, vos retinete *parvuli*. »

29. Nec minus dilucide S. Mediolanensis Episcopus Ambrosius, lib. 2. de Abraham, ubi edisserens legem circumcisionis populo judaico datam, baptismum nostrum mystice signantem (3) « Egregie, inquit, infantiae in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos ; quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelae, quia nullum est culpae vacuum . . . Nec senex ergo proselytus, nec *infans vernaculus* excipitur, quia

(1) Lib. 6 de Schismate Donatistarum.

(2) Circa an. 370 sub Theodosio Principe juxta Hieronymum vita et sermone clarus.

(3) Etenim num. 79 ita loquitur « ***Mysterii autem ratio dilucida.*** Vernaculi enim Judaei pretio empti sunt gentes quae crediderunt ; quia pretio sanguinis Christi redempta est Ecclesia. Ergo, et Judaeus, et Graecus, et quicumque crediderit debet scire se circumcidere a peccatis ut possit salvus fieri: et domesticus, et alienigena, et justus, et peccator circumcidatur remissione peccatorum, ut peccatum non operetur amplius, ***quia nemo ascendit in Regnum caelorum nisi per Sacramentum Baptismatis.*** » Libri II de Abraham ad an. 387 a Maurinis referuntur.

omnis aetas peccato obnoxia, et ideo *omnis aetas* Sacramento idonea. »

30. Eodem tempore, loco sejunctus, sed amicitiae vinculis Ambrosio conjunctissimus Basilius, in Hom. exhortatoria ad Baptismum n. 1 (*) « Tempus aliud, inquit, aliis quidem rebus idoneum est; proprium somni, proprium vigiliarum, proprium belli, proprium pacis; sed baptismatis tempus *tota hominum vita* est. Neque enim corpus quod non respirat vivere, neque anima quae conditorem non cognoscit, consistere potest. Dei enim ignoratio animae mors est. Qui autem non baptizatus, ille nec illuminatus est. Rursus sine luce, nec oculus quae sua sunt cernit, nec anima Deum contemplari potest. Itaque tempus omne ad salutem per baptisma adipiscendam opportunum est : sive noctem dicas, sive diem, sive temporis punctum, sive quidvis minutissimum. » Ergo tempore Basilii nulla erat Ecclesiae dispositio, quae parvulorum Baptismati, quovis modo obstaret; sed cum Ecclesia judicaret, omne tempus, omnem aetatem vitae humanae esse aptam baptismo, consequenter parvulis, adultisque tingendis aeque facilem se praebebat: et n. 2. idem S. Doctor comparatione instituta inter circumcisio-

(*) Καιρὸς μὲν οὖν ἄλλοις ἄλλος ἐπιτήδειος· ἴδιος ὕπνου, καὶ ἴδιος ἐγρηγόρσεως· ἴδιος πολέμου, καὶ ἴδιος εἰρήνης· καιρὸς δὲ βαπτίσματος ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος. Οὔτε γὰρ σώματι ζῆν μὴ ἀναπνέοντι δυνατὸν, οὔτε ψυχῇ συνεστάναι, μὴ γνωριζούσῃ τὸν κτίσαντα. Θεοῦ γὰρ ἄγνοια θάνατός ἐστι ψυχῆς. Ὁ δὲ μὴ βαπισθεὶς οὐ πεφώτισται. Ἄνευ δὲ φωτὸς οὔτε ὀφθαλμὸς τὰ ἑαυτοῦ καθορᾷ, οὔτε ψυχὴ Θεοῦ δέξασθαι δύναται θεωρ'αν. Πᾶς μὲν οὖν χρόνος εὐκαιρίαν ἔχει πρὸς τὴν διὰ τοῦ βαπτίσματος σωτηρίαν· κἂν νύκτα εἴπῃς, κἂν ἡμέραν, κἂν ὥραν, κἂν στιγμὴν χρόνου, κἂν τι βραχύτατον.

nem, et baptismum ita ratiocinatur: « (*) Iudaeus circumcisionem non differt propter comminationem illam: omnis anima quae non circumcidetur die octavo peribit de populo suo Gen. XVII, 14. *Tu vero circumcisionem non manufactam, sed quae per baptisma in exspoliatione carnis perficitur, differs, postquam Dominum ipsum audivisti :* Amen, Amen, dico vobis, nisi quis natus fuerit per aquam, et Spiritum non intrabit in regnum Dei. » Quod nihil aliud est, quam dicere, *longe melius esse baptizari statim a nativitate,* cum Baptismi potior sit necessitas qnam circumcisionis, quae tamen octavo post ortum die fieri praecipiebatur.

31. Cui vero omnia fuere cum Basilio communia, studia, mores, vitae sanctitas, gradus, Nazianzeno inquam, non potuit dispar circa Baptismum insidere sententia. Enimvero anno circ. 380 gravissimam habuit orationem in S. Baptisma, ubi n. 8. « *Prima purgatio,* (**) inquit,

(*) Ὁ Ἰουδαῖος τὴν περιτομην οὐχ ὑπερτίθεται διὰ τὴν ἀπειλὴν, ὅτι Πᾶσα ψυχὴ, ἥτις οὐ περιτμηθήσεται τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ ἐξολεθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτῆς· σὺ δὲ τὴν ἀχειροποίητον περιτομὴν ἀναβάλλῃ ἐν τῇ ἀπεκδύσει τῆς σαρκὸς, ἐν τῷ βαπτίσματι τελεισυμένην, αὐτοῦ τοῦ Κυρίου ἀκούσας· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μή τις γεννηθῇ δι' ὕδατος καὶ Πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

Quibus verbis relatis contra Julian. lib. 2 c. 6 n. 18 ita S. August. apte ad rem nostram argumentatur « Cernis quemadmodum circumcisionem circumcisioni, comminationem comminationi vir ecclesiastica, doctrina praeditus comparavit? Quod ergo est octavo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari, et quod est perire de populo suo, hoc est non intrare in regnum caelorum. »

(**) Πλὴν μὴ δευτέρας δεηθῆναι καθάρσεως, ἀλλὰ στῆναι μέχρι τῆς πρώτης ἄμεινον, ἣν κοινὴν εἶδα πᾶσι καὶ ἄμοχθον καὶ ὁμότιμον, δούλοις, δεσπόταις, πένησι, πλουσίοις, ταπεινοῖς, ὑψηλοῖς, εὐγενεστέροις, ἀγενεστέροις, ὀφείλουσιν, οὐκ ὀφείλουσιν, ὡς ἀέρος πνεῦσιν, καὶ φωτὸς χύσιν, καὶ ὡρῶν ἀλλαγὰς, καὶ κτίσεως θέαν, τοῦ μεγάλου καὶ κοινοῦ πᾶσιν ἡμῖν ἐντρυφήματος, καὶ ἰσομοιρίαν πίστεως.

omnibus communis est . . . . cunctisque ex aequo patet, tam servis, quam heris, tam egentibus, quam copiosis, tam abjectis, quam sublimibus, tam genere claris, quam ignobilibus, et obcuris . . . *non secus atque aëris haustus, et lucis profusio* et *temporum vicissitudines,* et rerum creatarum, idest magni illius omnibusque communis oblectamenti, spectaculum, ac denique aequa fidei portio » et num. 17, ita Matres compellat: « *Infans tibi est* ? ne occasionem improbitas arripiat *ab infantia* sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur. At propter naturae imbecillitatem sigillum metuis ? Quam imbecillis animi mater es, pusillaeque fidei ! Anna vero Samuelem, prius etiam quam procreatus esset, Deo vovit: atque in lucem editum statim consecravit, ac cum Sacerdotali stola educavit, nihil humani verita, sed Deo fidem habens. Nihil tibi amuletis, nec incantamentis opus est, quibuscum pravus ille, in leviorum hominum animos simul irrepit, venerationem Deo debitam furtim ad se transferens. Trinitatem ipsi da, magnum, inquam illud, et pulcherrimum amuletum (*). »

32. Ab istorum societate minime dirimendus est S. Joan. Chrys. qui in Homilia (fortasse dicta Antiochiae

(*) Νήπιον ἔστι σοι ; Μὴ λαβέτω καιρὸν ἡ κακία· ἐκ βρέφους ἁγιασθήτω, ἐξ ὀνύχων καθιερωθήτω τῷ Πνεύματι. Σὺ δέδοικας τὴν σφαγῖδα διὰ τὸ τῆς φύσεως ἀσθενες· ὡς μικροψυχος ἡ μήτηρ, καὶ ὀλιγόπιστος ! Ἡ Ἄννα δὲ, καὶ πρὶν ἢ γεννηθῆναι τὸν Σαμουὴλ, καθυπέσχετο τῷ Θεῷ, καὶ γεννηθέντα, ἱερὸν εὐθὺς ποιεῖ, καὶ τῇ ἱερατικῇ στολῇ συνανέτρεψεν, οὐ τὸ ἀνθρώπινον φοβηθεῖσα, τῷ δὲ Θεῷ πιστεύσασα. Οὐδὲν δεῖ σοι περιαμμάτων καὶ ἐπᾳσμάτων, οἷς ὁ πονηρὸς συνεισέρχεται, κλέπτων εἰς ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τὸ σέβας, ἐν τοῖς κευφοτέροις. Δὸς αὐτῷ τὴν Τριάδα, τὸ μέγα καὶ καλὸν φυλακτήριον.

an. 387) super illud Apostoli dictum: « Nolo vos ignorare fratres, quod Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt (1 Cor. X, 1) » «Audisti, inquit, (*) quomodo saepe illud omnes posuerit? Quod ne-

(*) Ἤκουσας πῶς πολλάκις τὸ, Πάντες, τέθεικεν ; Οὐκ ἂν δὲ τοῦτο ἐποίησεν, εἰ μὴ μέγα τι καὶ θαυμαστὸν μυστήριον αἰνίξασται ἤθελεν . . . Τίνος οὖν ἕνεκεν συνεχῶς τῆς λέξεως ταύτης μέμνηται ; Βούλεται δεῖξαι πολλὴν οὖσαν τῆς Παλαιᾶς πρὸς τὴν. Καινὴν τὴν συγγένειαν, καὶ ὅτι ταῦτα τύπος ἐκείνων ἦν, καὶ σκιὰ τῶν μελλόντων. Καὶ πρῶτον ἀπὸ τούτου τὴν συμφωνίαν δείκνυσι. Βουλόμενος γὰρ δεῖξαι, ὅτι ὥσπερ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ οὐκ ἔστι δούλου καὶ ἐλευθέρου διάκρισις, οὐδὲ ξένου καὶ πολίτου, οὐδὲ γέροντος καὶ νέου, οὐδὲ σοφοῦ, καὶ ἀσόφου, ουδ' ἰδιώτου καὶ ἄρχοντος, οὐδὲ γυναικὸς, καὶ ἀνδρὸς, ἀλλὰ πᾶσα ἡλικία, καὶ πᾶσα ἀξία, καὶ ἑκατέρα ἡ φύσις ὁμοίως εἰς τὴν κολυμβήθραν ἐκείνην ἐμβαίνουσι τῶν ὑδάτων, κἂν Βασιλεὺς ᾖ τις, κἂν πτωχὸς, τῶν αὐτῶν ἀπολαύουσι καθαρσίων· καὶ τοῦτό ἐστι μάλιστα τὸ μέγιστον τῆς παρ' ἡμῖν εὐγενείας τεκμήριον, ὅτι ὁμοίως καὶ τὸν πρσαίτην, καὶ τὸν τὴν ἀλουργίδα ἔχοντα μυσταγωγοῦμεν, καὶ οὐδὲν πλέον οὗτος ἐκεῖνον κατὰ τὸν τῶν μυστηρίων ἔχει λόγον· οὕτω καὶ ἐν τῇ Παλαιᾷ συνεχῶς τὸ, Πάντες, τέθεικεν. Οὐδὲ γὰρ ἔχεις εἰπεῖν, ὅτι Μωϋσῆς μὲν διὰ ξηρᾶς, Ἰουδαῖοι δὲ διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον, οὐδ' ὅτι οἱ μὲν εὔποροι δι' ἑτέρας, ὁδοῦ οἱ δὲ πενέστεροι δι' ἑτέρας ὁδοῦ, οἱ δὲ πενέστεροι δι' ἑτέρας, οὐδὲ ὅτι αἱ γυναῖκες μὲν ὑπὸ τὸν ἀέρα, ἄνδρες δὲ ὑπὸ τὴν νεφέλην, ἀλλὰ καὶ διὰ τῆς θαλάσσης πάντες, καὶ ὑπὸ τὴν νεφέλην πάντες, καὶ εἰς τὸν Μωϋσῆν πάντες. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ διὰβασις ἐκείνη τοῦ μέλλοντος Βαπτίσματος ἦν τύπος, ἔδει τοῦτο πρῶτον τῶν ὅλων διατυπωθῆναι, τὸ πάντας τῶν αὐτῶν ἀπολαῦσαι, ὥσπερ οὖν καὶ ἐνταῦθα πάντες τῶν αὐτῶν ἐξίσης μετέχουσι. Καὶ πῶς δύναται, φησὶν, ἐκεῖνο τύπος εἶναι τῶν παρόντων ; Ἂν μάθῃς πρότερον, τί μὲν ἔστι τύπος, τί δὲ ἀλήθεια, τότε σοι καὶ τούτου παρέξομαι τὰς εὐθύνας . . . . . Κἀκεῖ ὕδωρ, κἀνταῦθα ὕδωρ· κολυμβήθρα ἐνταῦθα, καὶ ἐκεῖ πέλαγος· πάντες ἐνταῦθα εἰς τὰ ὕδατα ἐμβαίνουσι, κἀκεῖ πάντες· κατὰ τοῦτο ἡ συγγένεια . . . . Καὶ ἴδε συγγένειαν τύπου πρὸς ἀλήθειαν, καὶ ἀληθείας ὑπεροχὴν πρὸς τύπον. Οὔτε γὰρ ἀπηλλοτριῶσθαι πάντη χρὴ τὸν τύπον τῆς

quaquam fecisset, nisi magnum quid, et mirabile mysterium subindicare voluisset... Cur ergo hanc vocem frequenter repetit? Ut ostendat magnam esse legis veteris cum nova cognationem, et illam fuisse horum figuram, et futurorum umbram. Atque primum hinc consonantiam ostendit. Volebat enim demonstrare, quod quemadmodum in Ecclesia non est discrimen inter servum et liberum, neque inter peregrinum et civem, senem et juvenem, sapientem et insipientem, privatum et principem, mulierem et virum, *sed omnis aetas* et dignitas, atque uterque sexus *similiter* in eamdem illam aquarum piscinam descendunt ... sic et in veteri lege, illud omnes frequenter posuit. Neque enim dicere potes, Moysen per aridam, Judaeos vero per mare transivisse: neque opulentos per hanc viam, pauperes per aliam, neque mulieres sub aëre, viros sub nube, sed omnes per mare, sub nube omnes, per Moysen omnes. Quoniam enim transitus ille futuri baptismatis typus erat, hoc primum per figuram exprimi oportuit: nempe omnes eorumdem consortes fuisse, quemadmodum et hic omnes eadem aequaliter participant. Et quomodo potest, inquies, illud praesentium esse typus? Si prius didiceris quid sit typus, quid veritas, tunc tibi hujusce rei rationem reddam. Quid igitur est umbra, et quid veritas? .... Illic aqua,

ἀληθείας, ἐπεὶ οὐκ ἂν εἶν τίπος· οὔτε πάλιν ἐξισάζειν πρὸς τὴν ἀλήθειαν, ἐπεὶ πάλιν καὶ αὐτὸς ἀλήθεια ἔσται . . . . . Ποῦ οὖν ἐστιν ἡ συγγένεια τοῦ τύπου πρὸς τὴν ἀλήθειαν; Ὅτι πάντες ἐκεῖ, καὶ ἐνταῦθα πάντες· ὅτι δι' ὕδατος ἐκεῖ, καὶ ἐνταῦθα πάντες. ὅτι δι' ὕδατος ἐκεῖ, καὶ ἐνταῦθα δι' ὕδατος· ὅτι δουλείας ἀπηλλάγησαν ἐκεῖνοι, καὶ ἡμεῖς δουλείας, ἀλλ' οὐ τῆς αὐτῆς· ἀλλ' οἱ μὲν τῆς Αἰγυπτίων, ἡμεῖς δὲ τῆς τῶν δαιμόνων· ἐκεῖνοι τῆς τῶν βαρβάρων, ἡμεῖς τῆς κατὰ τὴν ἁμαρτίαν. Num. 3. 4.

et hic aqua: hic piscina, illic pelagus: hic omnes in aquam ingrediuntur, illic item omnes: secundum hoc affinitas ... Et vide cognationem figurae cum veritate, ac veritatis prae typo excellentiam. Neque enim alienum oportet esse typum a veritate, alioquin enim typus non esset: neque rursus par est exaequari typum veritati, alioquin typus ipsa veritas esset .... Ubi itaque est cognatio typi cum veritate? In eo quod *illic omnes, hic item omnes*: *illic per aquam, hic etiam per aquam*: illi a servitute liberati sunt, et nos etiam a servitute liberati, sed non ab eadem: nam illi a servitute Aegyptiorum, nos a servitute daemonum: illi a servitute Barbarorum nos a servitute peccati. » Jamvero certissimum est per mare rubrum etiam infantulos transiisse: ergo cum eloquentissimus Doctor in eo maxime reponat hujus typi cum baptismo nostro cognationem, quod in utroque transitus ad omnes competat, sequitur, ex Chrysostomo, non minus infantes, quam adultos per undas regenerationis transire: quod antea clarius enuntiaverat, dicens, omnem aetatem in illam piscinam descendere.

33. Praeiverat inclytus Alexandrinae scholae cathechista Dydimus (1) lib. 2 de Trinitate (2), ubi docens Bethsaida piscinam imaginem Baptismi nostri imperfectam licet praesetulisse « (*) Authenticus, inquit, baptismus post Fi-

(1) Relatus a Hieronymo in lib. de Script. eccl. an. 392 composito: quo tempore annum octogesimum tertium eum excessisse testatur. Obiit autem juxta Tillemontium an. 399.

(2) Didymi Alex. libros III. de Trinit. primus ex Passioneiano Codice graece edidit, latine vertit, notisque optimis illustravit Jo. Aloisius Mingarelli Can. Reg. S. Augustini, Congr. Rhenanae S. Salvatoris, an. 1769.

(*) Τὸ γὰρ αὐθεντικὸν Βάπτισμα, μετὰ τὴν τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπιφάνειαν, καὶ καθ' ἑκάσθην ἡμέραν, μᾶλλον δὲ ὥραν· ἀληθέστερον δὲ, ἀδιαλείπτως καὶ πάντας τοὺς κατιόντας, καὶ

lii, et Spiritus S. apparitionem sive manifestum adventum, et quotidie, aut potius *singulis horis*, aut ut verius dicam *continue*, et *omnes* in piscinam descendentes, et ab omni peccato in perpetuum liberat... Ac praeterea omnes per gratiam fratres primogenitos, et modo genitos reddit iste Baptismus, *ne iis quidem exceptis, qui natu minores sint* aut aetate provecti. Ac *apud eos ipsos*, quorum fidei juxta mundanam legem, terrenae opes non creduntur, quod tutum non sit id facere ob annorum numerum, aut *nimis exiguum*, aut nimis magnum, totus tamen divinus census cum securitate depositus invenitur ». Apposite in extremam hanc periodi partem notat Mingarelli, Dydimum Tertulliani verbis uti, ipsumque veluti redarguere, quod infantes passim baptizari nollet (1).

36. Praeiverat et S. Epiphanius Constantiae in Cypro Episcopus in Panario, seu refutatione 80 haereseon (2) haer. 67 ubi evertens Hierachitarum commentum, par-

ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας αἰωνίος ἐλευθεροὶ· καὶ τῶν πολλῶν καὶ διαφόρων, καὶ ἀνωμάλων, καὶ δυσλύτων διαθέσεων ψυχικῶν τε καὶ σωματικῶν ἡ ἴασις εὑρίσκεται μία, καὶ οὐδὲν καθετιοῦν ἔτι παλαιὸν ἔπεται ἄλγημα τῶν ἐντὸς ἢ τῶν ἐκτός. Πρὸς ἐπὶ τούτοις, πάντας ἐκ χάριτος ἀδελφοὺς πρωτοτόκους καὶ ἀρτιτόκους, καὶ αὐτοὺς τοὺς ἐξήλικας καὶ ἀφήλικας ἀναδείκνυσι· καὶ τούτοις αὐτοῖς οἷς κατὰ νόμον κοσμικὸν τὰ γήϊνα χρήματα, διὰ τὸ ἀνασφαλὲς τῶν ἐτῶν, ἢ τῶν ὀλίγων, ἢ τῶν πολλῶν, οὐ καταπιστεύεται, ὁ θεῖος ἅπας ὄλβος ἀσφαλῶς παρακατατεθεὶς εὑρίσκεται· Cap. 14.

(1) Haec enim scripserat ille lib. de Bapt. ç. 18. « Veniant ergo, dum adolescunt ... cautius agetur in saecularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur: » ac Tertulliani opera nedum comperta, sed familiaria Dydimo fuisse facile sibi quisque persuaserit, qui in eruditas Mingarelli notas oculos conjecerit.

(2) Ad quam mentem appulisse par est an. Diocletiani XCII, Valentiniani et Valentis XII, Gratiani VIII, hoc est an. Christi 375. Vid. Fabricium Bibl. Graec. Tom. 8 ed. Harles.

vulos a salute excludentium, quod legitimi certaminis ineundi incapaces, cui corona repromittitur. « Sed, inquit (*), ad Salvatorem ipsum, et ad os illud expers mendacii omniumque rerum cognitione praeditum veniamus. Adsis igitur o Domine, et intelligentiae nostrae opem ferens Hieracam illum ejusque temeritatem argue. Accesserunt, inquit, ad illum pueruli, ut manus illis imponeret, ac benediceret: discipuli vero repellebant illos, et prohibebant. Ipse vero dixit illis: Sinite parvulos, et ne prohibete illos venire ad me. Talium est enim Regnum Caelorum. Sed ne puerulorum tantummodo, ac non reliquae aetatis, caeleste Regnum esse crederemus, sic ab illis exorsus est, ut communem cum iis haereditatem illorum similibus tribueret. Jamvero si his ipsis, qui proxime ad illos accesserint caeleste regnum promittitur, *quanto id ipsi magis assequuntur*, quorum ad exemplar ac archetypum expressi sunt alii? Adeo nullus istius

(*) Ἴδωμεν δὲ αὐτὸν τὸν Σωτῆρα, τὸ ἀψευδὲς στόμα, τὸ γινῶσκον τα πάντα. Δεῦρο, Κύριε, βοήθει τῇ διανοίᾳ ἡμῶν· ἔλεγξον δὲ τὸν Ἱέρακα, καὶ τὴν αὐτῶν προπέτειαν. Προσῆλθον αὐτῷ, φησὶ, τὰ παιδία, ἵνα θῇ χεῖρας ἐπ' αὐτὰ καὶ εὐλογήσῃ. Οἱ δὲ μαθηταὶ ἀπωθοῦντο αὐτὰ, καὶ ἐκώλυον. Ὁ δὲ πρὸς αὐτοὺς ἔφη· Ἄφετε τὰ παιδία, καὶ μὴ κωλύετε αὐτὰ ἐλθεῖν πρός με. Τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ Βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Καὶ ἵνα μὴ μόνον παιδαρίων νοηθῇ ἡ Βασιλεία τῶν οὐρανῶν, καὶ οὐχὶ ἐπὶ πᾶσαν ἡλικίαν, ἀπ' αὐτῶν μὲν τὴν ἀρχὴν ἄρχεται, τοῖς δὲ ὑμοίοις αὐτῶν δεδώρηται μετ' αὐτῶν ἔχειν τὴν κληρονομίαν. Εἰ γὰρ οἱ κατ' αὐτοὺς Βασιλεύειν ἔχουσι, πόσῳ γε μᾶλλον οἱ ἀρχέτυποι τῶν κατ' αὐτοὺς ὑπαρχόντων; Καὶ πέπτωκεν αὐτοῦ ὁ μυθώδης λόγος. Πάντας γὰρ ἐλεεῖ ὁ Κύριος· φυλασσων γὰρ τὰ νήπια ὁ Κύριος· καὶ, Αἰνεῖτε, παῖδες, Κύριον. Καὶ τὰ παιδία ἐκήρυξαν· Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου· καὶ, Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον. Καὶ πόσα ἐστὶ τοιαῦτα.

fabulae locus est relictus. Omnium quippe miseretur Dominus: Custodiens enim parvulos Dominus Ps. 114, 6. Item Laudate pueri Dominum Ps. 112. 1. Deinde praedicatum illud a pueris est: Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini Matt. XXI. 15. Item: Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem Ps. 8. 3. Mitto alia ejus generis infinita. » Quis porro dicat, aetate S. Praesulis viam ad baptismum fuisse generatim parvulis interceptam, quam ipse ex Domini sententia arguit, parvulis jure quodam ac titulo praelationis patere latissimam?

37. Concinit ex Ponto S. Asterius Amasenus Episcopus (1), qui Homilia XX. in Psalmum sextum de circumcisione loquens tamquam de christiani baptismatis exemplo, asserit eam octavo die datam esse: (*) « Quo Chri-

(1) Juliani Apostatae temporibus, jam Episcopatu fungebatur: nam hom. III in avaros, se vicinum impiissimo Principi testatur; periit autem Julianus an. 363.

(*) Ἵνα καὶ οἱ χριστιανοὶ μετὰ ταῦτα μαθωσιν, τὰ τικτόμενα βρέφη μετὰ τῆς μήτρας σπάργανα. καὶ πρὸ αὐτῶν τῶν αἰσθητῶν σπαργάνων, σφραγίζειν αὐτὰ τῷ Βαπτίσματι, ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ Χριστοῦ· περὶ ἧς λέγει ὁ Παῦλος· Ἐν ᾧ καὶ περιετμήθητε περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ Βαπτίσματι ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ Χριστοῦ.

Εἰ οὖν ἡ τοῦ Ἰουδαίου περιτομὴ πρωΐμος καὶ ταχεῖα, καὶ εὐθὺς μετὰ τὰ σπάργανα τῷ βρέφει ἐδίδοτο· πολλῷ μᾶλλον ἡ τοῦ Χριστοῦ περιτομὴ ἡ διὰ τοῦ Βαπτίσματος, ὀφείλει ταχυνωτέρα τῷ βρέφει πρὸς ἀσφάλειαν δίδοσθαι· τοῦτο μὲν ἵνα τὸν Χριστὸν ἐνδυσάμενον ὡς θώρακα, μὴ φοβηθῇ τοὺς πολεμίους δαίμονας· τοῦτο δὲ, ἵνα μὴ προδοθῇ εἰς αἵρεσιν, καὶ αἰχμάλωτον γένηται Νόει ἃ λέγω. Οἴδατε τὰ γινόμενα. Τοῦτο δὲ ἵνα κἂν τελευτήσῃ, μὴ ἐξέλθῃ ἀσφράγιστον. Καὶ ἔτι διὰ πατέρα ἢ μητέρα ἑτερόδοξον, τὸ βρέφος ἐβαπτίσθη καὶ οὐκ ἐβαπτίσθη ἀλλὰ κατεβαπτίσθη εἰς αἵρεσιν· οὔπω τὸν Βίον ἔπλευσεν, καὶ ἤδη ἐναυάγησεν. Πρὸ τοῦ αἰσθητοῦ

stiani postea discerent, *infantes natos post vulvae fascias, et ante ipsas sensibiles cunas, consignare baptismo*, in circumcisione Christi, de qua dicit Paulus « In quo et circumcisi estis circumcisione non manufacta, consepulti ei in baptismo, in circumcisione Christi ». Coloss. II, 11. 12. Si ergo Judaei circumcisio velox et cita, statimque post cunabula infanti tradebatur, multo magis Christi circumcisio, quae per Baptismum peragitur debet celerius infanti dari ad securitatem, partim ut Christum instar loricae indutus, non vereatur inimicos daemones, partim ne tradatur in haeresim, ac fiat captivus. Intellige quae dico. Nostis quae fieri solent: partim ut si moriatur non emigret absque signaculo. Et quia propter patrem, aut matrem aliter quam Ecclesia sentientem, infans demersus est, non in baptismo tinctus, sed in haereseos aquis suffocatus: nondum vitae navigationem instituit, et jam naufragium fecit. *Ante sensibilem amictum*, regia Christi veste infantem induc, quo glorieris, puerum tuum, instar regis in purpura genitum esse. In lege, qui octavo die non circumcidebatur, maledictus erat; in gratia qui non est baptizatus a regno caelorum extraneus est atque alienus: qui enim dixit in lege – Maledictus omnis masculus qui non circumcide-

ἱματίου, τὸ Βασιλικὸν Χριστοῦ ἱμάτιον τὸ Βρέφος ἔνδυσον, ἵνα καυχήσῃ, ὅτι παιδίον σου ὡς Βασιλεὺς εἰς πορφύραν γεγέννηται. Ὁ μὴ περιτεμνόμενος ἐν τῷ νόμῳ ἐκταήμερος ἐπικατάρατος ἦν· ὁ μὴ βαπτιζόμενος ἐν τῇ χάριτι, τῆς Βασιλείας τῶν οὐρανῶν ξένος καὶ ἀλλότριος. Ὁ γὰρ εἰπὼν ἐν τῷ νόμῳ· Ἐπικατάρατος πᾶς ἄρσην ὃς οὐ περιτμηθήσεται τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ, ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ τοῦ λαοῦ· ὁ αὐτὸς εἶπεν μετὰ ὅρκου ἐν τῇ χάριτι· Ἀμὴν Ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν Βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

tur octavo die, exterminabitur anima illa de populo. Idem cum juramento pronuntiavit in gratia: Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu non potest videre Regnum Dei. »

36 Concinit B. Hieronymus Theologus Graecus nuncupatus (1), in Dialogo, cui titulus « *Commentatio Christiano cuilibet utilis* « ubi interroganti: An volens, et sponte factus es Christianus, an invitus? Resp: Si dixero *volens* mentiar, et si dixero *nolens* verum non dicam. Nam cum *infans tunc essem*, neque repugnavi, neque consensi (*).

37. Neque vero ab instituti nostri ratione abludunt quae disserit S. Philastrius Brixiensis Episcopus (2) lib. de haer. ad haer. 152: «Alia est, inquit, haeresis, quae spiramen quod accepit Adam, putat tantum esse, quantum est a Christo post Resurrectionem concessum Apostolis: cum ignoret, quod spiramen est modicae virtutis aliqua gratia in audienda lege Dei, multorum primum. Spiritus autem perfectionis est plenitudo. Spiramen itaque datur ab *infantia*, et Cathecumenis. (3) Spiritus autem

(1) A S. Joan. Damasc. de Imag. or. 3 vocatur *προεσβύτερον Ἱεροσολύμων*, et juxta Cavei conjecturam Gallandio acceptam idem est ac quidam Hieron. presbyter, ac monachus natione Dalmata de quo vide Cangium Gloss. Graecitatis Tom. 2 in Indice Auct. Scripsit itaque Theodosio M. imperante.

(*) Ἐρώτ. Θέλων γέγονας χριστιανὸς, ἢ μὴ θέλων;
Ἀπόκρ. Κἂν εἴπω, Θέλων, ψεύδομαι· κἂν εἴπω, Μὴ θέλων, οὐκ ἀληθεύω. Νήπιος γὰρ ὢν τότε, οὔτ' ἀντεῖπον, οὔτε κατεθέμην.

(2) Cujus gesta consignat magnus Annalium Parens ad ann. 369, sed quae referimus scripta sunt post an. 380, quo tempore emersit haeresis abstinentium a Philastrio impugnata.

(3) Videtur Philastrius alludere ad exsufflationes quae baptismum praecedebant, et non minus infantibus, quam cathecumenis competentibus fiebant. De hoc ritu meminerunt omnes antiqui Rituales latini, Eucholo-

in incremento doctrinae Fideique et salutaris Baptismi plena Dei gratia ut intelligere, et ad majorem jam possit scientiam pervenire. Ideoque post Baptismum, Spiritum ut Apostoli jam non, sed spiramen accipit, qui baptizatur in Trinitate. *Commune est etenim omnium spiramen.* Spiritus autem paucorum est fidelium, atque credentium et discentium, et velut ab honore ad honorem, et a gloria ad gloriam majorem, caelestemque scientiam et gratiam pervenientium.... ut et natura non exors Christi muneris inveniatur aliena penitus, idest nec cathecumenus: et fides, atque doctrina studiumque, et vita praeclara in paucorum fidelium, et cupientium voluntate dignosceretur exuberans. » Distinguit hic S. Pater Spiritum a Spiramine: atque hoc inter utrumque interesse dicit, quod ille paucis competat sanctitate ac sapientia apprime excultis, alterum comune sit omnium, et detur in infantia, et in Sacramento Baptismi trahatur: ergo aetate Philastrii ex communi consuetudine baptizabantur infantes.

38. Ab his non abludit strenuus Nicaenae fidei propugnator Hilarius Pictaviensis, qui non modo ipse ab infantia Christum induerat, et christianam doctrinam cum lacte suxerat, ut post Bellovacensem lib. XIV c. 25 et S. An-

gia Graecorum; Concil. I. Constantinopolitanum c. 7; S. Cyrillus Hierosol. Cathech. Mystag. XVI. n. 19; Nazian. or. IV. n. 24; S. Ephrem de Secundo adventu; Gelasius Papa I. Epist. n. 7, atque omnes qui de Baptismi Sacramento scripserunt. Hinc Gennadius lib. de Eccl. Dogmat. c. 31 exufflationes, tum parvulis, tum juvenibus *in universo mundo* ab Ecclesia *uniformiter fieri* » S. Augustinus vero energice ex hoc ritu arguit contra Pelagianos, sicut lib. 1 contra Julianum c. 4. « Profecto exorcizatus, et exufflatus es, ut a Potestate erutus tenebrarum, transferreris in Regnum Christi; » et in lib. 1 de Symbolo ad Cathecum. c. 5 « Sicut vidistis hodie, sicut nostis, et parvuli exufflantur, et exorcizantur, ut pellatur ab eis potestas iniqua, quae decepit hominem ».

toninum tit. XI c. 3 probant Maurini ex hisce Fortunati verbis in ejus Vita lib. 1 n. 3 « A cunabulis tanta sapientia primitiva ejus lactabatur infantia ut jam tunc potuisset intelligi Christum in suis causis pro obtinenda victoria necessarium sibi militem jussisse propagari: » sed et in vico Locogiaco defunctum sine baptismo infantem suis precibus suscitavit, clamante Matre « redde rogo filium, aut mihi, aut baptismo: » et ad exemplum Apostolorum integras familias baptizare consuevit, ut narrat idem Biographus Fortunatus n. 7. Ab his inquam, quos recensuimus Patribus non abludit Hilarius, sed omnibus indiscriminatim renascendi gratiam suo tempore oblatam passim significat, uti ex: gr. explanans v. 5 et 6 Ps. 65. « Venite, et videte opera Dei terribilis in consiliis super filios hominum; qui convertit mare in aridam in flumine pertransibunt pede. Verum haec, inquit, quamvis virtutum Dei opera sint, non tamen spei, et saluti satisfaciunt universorum. Populo enim tantum legis mare in terram demutatum est; ejusque itineri Jordanis aruit. Sed quid hoc ad universae terrae salutem proficit? Omnibus enim hoc quod venite dictum est, competit· quia de universis praescripta erat, Omnis terra adoret te: Quid ergo mihi ad salutem tanto postea genito Jordanis tum arefactus impertit? Impertit plane. Hujus enim primum aquis peccatorum ablutio, Joanne poenitentiam praedicante donata est: et per quem populo in repromissionis terram iter fuerat, per eum via nobis caelestis regni, et novae generationis lavacro possessio aeternorum corporum inchoatur, aquis ipsis Baptismo Domini consecratis.... Per has enim Jordanis aquas in illa quae a Prophetis promissa sunt terrae bona gressu abluendorum corporum transitum est, atque transitur: et ibi caelestis Sacramenti lae-

tamur exordiis, « Vide et in Ps. 118 n. 5 in Ps. 91 n. 9 in Ps 50 14 in Ps. 63 7 in XIX Matt. n. 3 etc. » (1).

39 Quod si ea Epistola, quam Joannes Chrysostomus Trombelli ex pervetusto Codice vulgavit, vere sit Hilario Pictaviensi adjudicanda, ut interna postulant externaque indicia, plane exinde constabit, quaenam Sancto Viro mens inhaeserit, et consuetudini de qua agimus validissima confirmatio accesserit. Nam epistolae auctor optat, et gaudet initiari baptismate parvulos vel ex utero nuper egressos, vel statim in primo liberi arbitrii exordio. « *Naturali bonitati, fidei quoque donum, et deificum munus* adjungant, ut semper boni, semper sancti, semper innocentes, semper Dei opus et naturae, traditione credulitatis perseverent. « Ubi » deifici numeris nomine baptismum intelligi rectissime posse, confirmationem quoque apto tempore suscipiendam « fatetur Trombellius. Subdit Epistolae Scriptor » Postremo gratulandum his in primo exordio liberi arbitrii si ad Deum accesserint, omnem aetatem suam bono fidei comparantes: quod non consummata aetate in errore, ut essent postmodum quod dolerent (*viden' improbari cunctationem baptismi*?) sed quod *adhuc pueri*, et innocentes, ad Dei non tantum veniam, quantum gratiam accessissent consequendam. » Deinde monet Hilarius instruendos esse a parentibus ipsis pueros: etenim in publicis concionibus praecepta eorum aetati, atque ingenio congruentia proponi non possunt. Id vero exequetur Ecclesia cum maturior aetas aptos percipiendis ecclesiasticis instructionibus reddet « Et primo quidem arbitror infantiam differendam in doctrina, quia vel qualitate temporis

(1) Expositiones in Psalmo 5 an. cir. 368 exaratae.

vel aetatis, verbum doctoris non potest sustinere. Et quibus aetatis defectu in malitiam, et innocentiam naturalem dari praecepta non possunt, in horum admonitionem parentes sunt constringendi, quamquam accedente aetate Ecclesia quoque non deerit, nec cessabit admonendo. Pueris autem illud insinuandum... ut nullo audiendi desint tempore, quia non semel possunt omnia perdoceri » Quae verba, miror ita fuisse a Trombellio intellecta, ut exprimant Tertulliani votum de Bapt. c. 18 cum hujusmodi sensus neque in textu appareat, et contextui absolute repugnet.

40 S. Siricius Papa in Ep. I. ad Himerium Episcopum Tarraconensem, data juxta Schoennemannum ipso anno electionis 385 postquam denuo sanxisset quaedam solemniora tempora ad baptismum adultorum ex veteri disciplina destinata, mox de infantulis haec subjungit: « Sicut sacram ergo Paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam : *ita infantibus qui nedum loqui poterunt per aetatem,* vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacra unda baptismatis omni volumus celeritate succurri; ne ad nostrarum perniciem tendat animarum si negato desiderantibus fonte salutari exiens unusquisque de saeculo et regnum perdat, et vitam... Praefatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicae Petrae, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam soliditate divelli. » Jubet postremo Pontifex, ut hoc cum aliis suis decretis in omnium coepiscoporum notitiam faciat pervenire: idest non eorum modo qui in suae diocceseos ambitu morarentur, sed ad alios, conterminas provincias incolentes, Boeticos, Lusitanos, Gallicios, Carthaginenses etc.

41 Ex Concilio autem Carthaginensi an. 397 celebrato discimus, morem baptizandi puerulos etiam ab iis fuisse retentum, qui ab Ecclesia Catholica haeresis causa descivissent. « De Donatistis placuit, ut consulamus fratres, et Consacerdotes nostros Siricium R. Episcopum, et Simplicianum Mediolanensem, *de solis infantibus, qui baptizantur penes eosdem,* ne quod suo non fecerunt judicio, cum ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illos error impediat, ne promoveantur Sacri Altaris Ministri » c. 48. (Extat int. Monum. Veter. ad Donatistar. Hist. pertinent. ap. Migne.)

42 Quod si genuini ab omnibus haberentur Canones qui sub nomine Magni Concilii Nicaeni ab Abrahamo Ecchellensi ex Arabica versione accepti, ac vulgati sunt, ab eo utique Canone auspicari par erat, in quo de puerorum baptismo praecipitur: quoniam vero, et pseudoepigraphi nunc existimantur, et nihilominus in Ecclesia Orientali auctoritatem habuerunt sanctionem illam hic postremo loco apponimus, his verbis in Labbaeana Collectione expressam: « Nati benedictionem suscipiant *secundum Ecclesiae legem,* et constitutionem, nimirum post 40 a nativitate diem: nec ultra hoc tempus differendum est: sed *baptizentur,* et christiani efficiantur, *sine ulla cunctatione* . . . Verum si nato timor aliquis instet mortis ante 40 hos dies introducatur in Ecclesiam, si licet cum alia muliere a matre, et baptizetur etsi per unam horam ante mortem, vel plus aut minus, quia ita Scriptura dicit « Qui non regeneratur in aqua, et Spiritu S. non ingredietur Regnum caelorum. »

42 Ex hac porro serie, et veluti foederato agmine testium ex omnibus Christiani orbis plagis obviantium, qui disertis vocibus, conceptisque verbis vel de baptis-

mate infantium tamquam de praxi communi, praesenti, ubique observari solita loquuntur, vel eam clarissime supponunt, vel denique illius observantiam commendant atque urgent, satis superque evincitur, quarto Christiani nominis saeculo paedobaptismi praxim latissime in Ecclesia patuisse, neque ad aliquam infantium classem circumscriptam, sed omnes indiscriminatim parvulos complectentem.

## § II.

Expenduntur loca quaedam ex Lactantio, ac S. Gregorio Theologo circa baptismum infantium.

43 Attamen duo sunt hujus saeculi Scriptores, qui videntur a concordi aliorum Patrum sententia dissidere, Firmianus nempe Lactantius ex Latinis, e Graecis autem S. Gregorius Nazianzenus: quorum ille (1) agnoscere videtur in homine duplicem statum, alterum in quo nascitur fere belluinum; alterum ad quem paulatim processu temporis assurgit homini proprium, ac baptismatis susceptioni idoneum «Denique, ait, homo non statim quam natus est, rectus ingreditur: sed quadrupes primo, quia ratio corporis, et hujus praesentis vitae communis est nobis cum mutis animalibus; post deinde confirmatis viribus erigitur, et lingua ejus in eloquium solvitur, et mutum animal esse desinit. Quae ratio docet mortalem nasci hominem; postea vero immortalem fieri, cum coeperit ex Deo vivere, idest justitiam sequi, quae continetur in Dei cultu, cum excitaverit hominem Deus ad

(1) Instit. lib. VII. cap. V. de vita beata. Institutionum libri ante medium saeculum IV. certo fuere compositi, sed quo praecise anno magna viget opinionum varietas.

aspectum caeli, ac sui. Quod tum fit, cum homo caelesti lavacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitae prioris, et incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus, ac plenus: » quem locum ita invenio notatum in editione Migneana qua utor. « Quasi vero infantes statim a nativitate non essent baptismi capaces: cum primitiva Ecclesia ante Lactantii tempora longe aliter senserit: » atque in hujus rei confirmationem citantur Cypr. in Ep. ad Fidum, et Irenaeus, lib. 2. c. 10. adv. haer.

44 Nazianzenus vero in admirabili illa Or. in S. Baptisma habita Constantinopoli 7. Jan. an. 381 cum sibi aliquem interrogantem proposuisset: « Quid de iis dices (*), qui tenera adhuc aetate sunt, nec aut damnum, aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? » Respondet: « Ita prorsus, si quod periculum urgeat: praestat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo, et initiatione abscedere . . . De reliquis ita censeo: *ut triennio expectato*, aut aliquanto breviori, vel longiori temporis spatio (nam tum, et mystici quiddam audire, et respondere possunt, ac si minus plene et exacte intelligunt, imbuuntur tamen et informantur), ita demum magno perfectionis Sacramento, et animos et corpora sanctificent. »

(*) Τί δ' ἂν εἴποις περὶ τῶν ἔτι νηπίων καὶ μήτε τῆς ξημίας ἐπαισθανομένων, μήτε τῆς χάριτος; ἢ καὶ ταῦτα Βαπτίσομεν; Πάνυ γε, εἴπερ τις ἐπείγει κίνδυνος. Κρεῖσσον γὰρ ἀναισθήτως ἁγιασθῆναι, ἢ ἀπελθεῖν ἀσφράγιστα καὶ ἀτέλεστα . . . . . περὶ δὲ τῶν ἄλλων δίδωμι γνώμην, τὴν τριετίαν ἀναμείναντας, ἢ μικρὸν ἐντὸς τούτου, ἢ ὑπὲρ τοῦτο (ἠνίκα καὶ ἀκοῦσαί τι μυστικὸν, καὶ ἀποκρίνεσθαι δυνατὸν, εἰ καὶ μὴ συνιέντα τελέως, ἀλλ' οὖν τυποῦμενα), οὕτως ἁγιάζειν καὶ ψυχὰς καὶ σώματα τῷ μεγάλῳ μυστηρίῳ τῆς τελειώσεως.

45 Jamvero ut a Firmiano incipiam, is non asserit adultos tantum baptismi esse capaces, quod placet Anabaptistis, neque porro exhibet Ecclesiam ita se gerentem suo tempore, ut regenerandis hominibus adultam expectaret aetatem. Sequitur enim ex ejus verbis materialiter acceptis, elapsa infantia, baptisma dandum, non adultis jam et provectis fuisse plerumque collatum. Quo in casu non testis munere fungeretur, sed philosophi juxta suum placitum de baptismo disserentis. Quis enim credat hominem Afrum, in Africa bonis artibus eruditum, ignorare potuisse quid in hac re facti, usu quotidiano trita, Africanae observarent Ecclesiae, quid circa eam senserit Cyprianus, in cujus scriptis versatum non uno indicio se prodit? Scio equidem Lactantium eloquii copia et elegantia, necnon saeculari eruditione plurimum polluisse, at Christianis dogmatibus minus expertum in multos errores impegisse : quapropter Hieronymus in Ep. 13. ad Paulin. «Lactantius, inquit, quasi quidem fluvius eloquentiae Tullianae utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit. » Sed qui in ejus doctrina naevi reprehenduntur ad ordinem speculativum plerumque pertinent, hic vero praxim respiceret Lactantio exploratissimam. Nisi forte quis dicat, eum ex Tertulliani lectione cujus celeberrima erant opera, fuisse adductum ut istius opinionem, atque huic obsequentium multorum abusum hoc praesertim saeculo irrepentem, germanae praxi ac traditioni Ecclesiae incaute praeferret. Sed quomodo si Lactantius ita censuit potuit lib. III. de falsa Sapientia c. 26 ita scribere: « Nemo vereatur: nos aquam non vendimus, nec solem mercede praestamus. Dei fons uberrimus, atque plenissimus cunctis patet : et hoc caeleste lumen *universis*

oritur, quicumque oculos habent ? » Si baptisma patet cunctis si instar solis ad omnes se porrigit qui oculos habent, certe etiam primuli infantes eo frui possunt. Quam sententiam de generalitate baptismi videtur Lactantius expressisse ex hoc Cypriani loco lib. 2. ep. 2. « Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus est . . . sed gratuitum de Deo munus religiosa mente concipitur, et facile est ; et ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se Spiritus coelestis infnndit. » Et rursus lib. IV. de vera Sapientia, et Religione, haec de Christi Baptismo loquens scripto tradit Lactantius. « Cum primum caepit adolescere, tinctus est a Joanne Propheta in Jordane flumine, ut lavacro spiritali peccata non sua, quae utique non habebat, sed carnis quam gerebat aboleret, *ut quemadmodum Judaeos suscepta ciscumcisione, sic etiam gentes Baptismo idest purifici roris perfusione salvaret* » ubi certe inducta paritas inter circumcisionem, et Baptismum, tum suapte natura, tum ex comuni usu Patrum gignit palmare argumentum pro Baptismate parvulorum. Quid igitur de objecto testimonio dicendum ? Si expendamus integram orationis seriem patebit scopum Lactantii esse ostendere immortalitatem beatam neque in corpore reponi posse, quod fluxum est, nec esse sequelam naturae ; siquidem natura non hominem erectum, loquentem, cognoscentem primo edit, sed veluti quadrupedem, et habita ratione corporis, ac vitae animalis a reliquis animantibus vix dissimilem ; igitur beata immortalitas, quae *statu viae inchoative* consistit in cognitione, et cultu Dei, et in exercitio justitiae est opus gratiae, quod in baptismo incipit, in quo homo *exponit infantiam cum omni labe vitae prioris,* et paulatim absolvitur cum adminiculo reli-

giosae institutionis, *incremento divini vigoris accepto* erigitur in cognitionem rerum caelestium ac divinarum, fitque homo perfectus ac plenus. Qua posita interpretatione quae fluit ex contextu conciliatur Lactantius cum semetipso, et cum traditione catholica.

46 Quod vero spectat ad Nazianzenum, duplex quodammodo in eo persona distinguatur oportet: altera pastoris, ac testis publicae communisque traditionis, altera Doctoris private sentientis. Quatenus receptae traditionis assertor, disertissimum de baptizandis infantibus ponit testimonium, quod superius exscripsimus: quatenus vero cuperet expectari triennium, vel aliquanto brevius, aut longius temporis spatium «de reliquis ita conseo etc.» privatum se manifestat opinatorem cui ceteri Patres nunquam adhaeserunt, « Nazianzeni consilium de triennio expectando non recipit Ecclesia, utpote periculi plenum » inquit celeberrimus Estius, Distinct IV. § 28 et Vasquez Disp. 154. in 3. part. S. Thomae 2. « Nazianzenum quidem illud optasse..... ut ipsi (pueri) responderent ejus tamen consilium hac in parte aliis PP. non placuisse» quod repetunt mutatis verbis omnes alii theologi. Nec mirum si Ecclesiae non placuerit Nazianzeni consilium, cum ipse ejus auctor, illud tamquam minus sapiens, ac providum improbavit, ac revocavit. Postquam enim opinionem illam proposuit, continuo subjungit: «At (*) propter inopinatos, ac repentinos periculorum impetus, quique nulla ope atque auxilio propulsari queunt, lavacro communiri omnino conducibilius est» Quod idem valet, ac dicere: «Mallem baptizari

(*) τετειχίσθαι δὲ τῷ λουτρῷ παντὶ λόγῳ λυσιτελέστερον, διὰ τὰς ἐξαίφνης συμπιπτούσας ἡμῖν προσβολὰς τῶν κινδύνων, καὶ βοηθείας ἰσχυροτέρας.

pueros cum aliquid pro se respondere possunt, etsi mysterium perfecte non intelligant: sed exinde puerorum salus magno discrimini exponeretur; ideo satius est antiquae praxi insistere, ac infantes ab unguiculis Spiritui consecrare: praestat enim eos absque sensu sanctificari, quam sine sigillo, et initiatione abscedere. » Atque hic notanda est nimia plurium theologorum facilitas, qui Tertulliani, ac Nazianzeni opinionem unam putantes, eadem severitate utrumque dijudicant. Quis porro non videt quam latum inter eos discrimen intersit? Tertullianus enim loquendi formam adhibet pene decretoriam, neque dilationi baptismi limites praescribit, et homines terrore ingesto a baptismo retrahit, rationes adducit, quae si ad unguem accipiantur in Anabaptismum trahunt: at contra Gregorius Theologus consilium suum ex motivo pietatis proponit, et cautis ac temperatis locutionibus utitur et brevem ac definitam dilationem exoptat, ac inspecto demum animarum periculo in Ecclesiae praxim se recipit, et in meliorem sententiam a se ante prolatam regressum facit. Hinc Nazianzenus non tam votum promit, quam volitum; seu desiderium inefficax, utpote necessaria conditione affectum, et Ecclesiasticae observantiae subordinatum. Tandem, animadverte lector, quod etiamsi Nazianzeni opinio absoluta foret, adversariorum hypothesis nihil ex ea proficeret. Haec enim insinuat in primitiva Ecclesia solos adultos plerumque fuisse regeneratos: Gregorius vero optat expectari plus minus triennium, quo elapso, ratio ipsis lucescere incipit: quod certe pueritiae tempus est, non adolescentiae; deinde ratio, ob quam Gregorius censeret ad illud tempus remitti baptismum, est, quia tunc mystici quiddam audire, et respondere possunt: non est ergo ratio oeconomica condi-

tioni societatis, ac temporum innixa ut adversarii contendunt: nam si quid valeret ea ratio a Nazianzeno adducta, et retractata, labefactaret praesentem Ecclesiae oeconomiam, juxta quam baptizantur parvuli qui nihil mysticum intelligere ac respondere valent. Denique non abs re erit animadvertere, usum protelandi baptismatis tam altas Nazianzeni aetate radices egisse, ut non uno ictu, sed sensim posset a particularibus Episcopis abrogari. Fecit itaque prudentissimus Doctor, quod eo tempore licuit, et non approbando, sed tolerando triennium indulsit: hoc est modum imposuit abusui, quem radicitus convellere nefas erat. Et haec de Lactantio, ac Nazianzeno delibasse sufficiat.

## § III.

Praevia distributione Patrum Scriptorumque saeculi V in duas classes, quarum alia ad controversiam Pelagianam referatur, alia sit ab ea sejuncta, ex hac primum suffragia in rem nostram desumimus. – Legatio Concilii Carthaginensis ad Anastasium, et Venerium. – S. Hieronymus – Joannes Cassianus – S. Leo Magnus – Epistola Encyclica Felicis III - Confessio sub Prosperi Aquitani nomine vulgata - Alcimus Avitus Viennensis - Joannes Diaconus - S. Petrus Chrysologus - Victor Vitensis – S. Isidorus Pelusiota - Teodoretus - Auctor Quaestionum, et Responsionum ad Orthodoxos - Quaestiones pseudo-Athanasianae.

47. Quod initio istius lucubratiunculae monuimus, paucitatem monumentorum, ac testium primi saeculi quoad praxim adducendi ad baptismum parvulos nuper ex utero egressos abunde compensari per documenta, ac testes posteriorum temporum, maxime locum habet saeculo Ecclesiae V, sive quod Scriptorum feracissimum fuerit, sive propter obortam Pelagianorum haeresim, cujus cum paedobaptismo necessitudo compulit Patres ut praxim nostram frequentius commemorarent, ac luculentius

evolverent. In duas igitur classes monumenta huc spectantia dispescentes, quarum altera cum haeresi pelagiana nectitur, altera ab ea divulsa est, atque independens, ex hac primo quaedam in nostrum usum derivabimus: alteram deinceps multo uberiorem consulemus.

48. Extat inter vetera Monumenta ad donatistarum historiam pertinentia (1) Legatio Concilii Carthaginensis (an. 401.) ad consulendum Anastasium, et Venerium de parvulis a donatistis baptizatis, ut in Catholica Ecclesia clerici ordinari valeant. Cum Aurelius Carthaginensis dixisset multas Ecclesias ita desertas esse, ut ne unum quidem diaconum. vel illitteratum habere reperiantur: «Unde, subdit, quoniam superiori concilio, statutum esse mecum agnoscit unanimitas vestra, ut hi, qui apud Donatistas parvuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris eorum interitum, et posteaquam ad aetatem rationis capacem pervenerunt, agnita veritate, falsitatem eorum abhorrentes, ad Ecclesiam Dei Catholicam per universum mundum diffusam, ordine antiquo per manus impositionem recepti sunt, debere talibus suscipiendum munus clericatus non impedire nomen erroris, cum veram Ecclesiam illorum putaverint ad fidem accedendo, et ibi Christo crediderint, et Trinitatis Sacramenta percepererint..... Tantum de his qui infantes baptizati sunt satagimus, ut nostrae si placet in iisdem ordinandis, consentiat voluntati. » En mos abluendi pueruloS in Africa celebratissimus, etiam a Donatistis usurpatus post discessum ab Ecclesia Catholica, a qua illum mutuati fuerant. Dubium vero movetur circa hos parvulos, an liceat eos admittere in clerum, non quod in infantia, sed quod in

(1) Migne Patr. Lat. Tom. XI.

haeresi baptizati fuerant. Etiam in Romana urbe aetate Hieronymi, adeo mos iste sancte servabatur, ut S. Doctor in Epistola ad Lactam, de institutione filiae (1) sceleris arguat eos, qui suorum infantium saluti per baptisma non consulebant. « Nisi forte existimes, inquit, Christianorum filios si baptisma non receperint, ipsos tantum reos esse peccati, et non *etiam scelus* referri ad eos, qui dare noluerint; *maxime eo tempore, quo contradicere non poterant*, qui accepturi erant ».

49. Haec impotentia repugnandi, quam Ecclesia opportunam judicat ad exercendam in parvulos actionem suam vivificatricem secundum divitias bonitatis Christi, adultis nonnumquam christianae vitae regulam fastidientibus, ansam praebet incusandi Ecclesiam et improbitatem suam tegendi. Hinc Joannes Cassianus lib. VI. de Incarnat. Domini cum exprobrasset Nestorio, quod Fidei symbolum in baptismo receptum violare non erubesceret, hanc tacitam haereticorum objectionem sibi proponit, ac diluit: « Sed parvulum te forsitan cum renascereris fuisse dicis; et ideo, nec sapere tunc, nec reclamare valuisse. Verum est, obstitit tibi infantia ne contradiceres, qui mori vir contradicendo potuisses.... Non quia piissima illa ac religiosissima plebs Dei contaminari vel impiissimi cujusquam sanguine velit, sed quia in magnis plerumque urbibus, fervens Dei amore populus cum exurgere contra Deum suum quempiam viderit, calorem fidei retinere non novit. Sed esto infans, si tamen ita est contradicere, ac reclamare symbolo non potueris, cur adultior jam robustiorque tacuisti? »

50. Accedit, qui hujus operis de Incarnatione horta-

(1) Scripta perhibetur an. 404.

tor ac suasor Cassiano fuerat, testis authenticus S. Leo M. qui Serm. 49 (al. 48) de Quadr. XI. « Ille, inquit, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum Sap. II. 24, modo praecipue livore uritur, modo maximo livore cruciatur. Videt enim de omni hominum genere in adoptionem filiorum Dei novos populos introduci, et per Virgineam Ecclesiae faecunditatem, partus regenerationis augeri: videt se dominationis suae jure privatum a cordibus eorum, quos possidebat, expelli: eripi sibi ex utroque sexu millia senum, millia juvenum, *millia parvulorum*; nec obesse cuiquam vel proprium vel originale peccatum. » Idem eloquentissimus Pontifex Leo in Ep. ad Rusticum Narbonensem (1), satisfacit triplici inquisitioni, ex qua evidenter apparet paedobaptismi praxim etiam in Gallicanis Ecclesiis fuisse diffusam. Inquisit. XVI. «De his qui a parentibus Christianis parvuli derelicti sunt, et utrum baptizati sint non potest inveniri, an debeant baptizari? »

Resp. « Si nulla existant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter clericos, aut vicinos, quibus hi de quibus quaeritur baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur ».

Inquis. XVII. « De his qui parvuli ab hostibus capti sunt (2), et non se sapiunt baptizatos, sed sciunt se aliquoties ad Ecclesiam a parentibus ductos, utrum possint, vel debeant baptizari? »

(1) Script. an. 458 vel 459.

(2) Ab Hunnis aliisque gentilium turmis, quorum irruptionem in Gallias deplorat Hieron. in Ep. ad Ageruchiam an. 409. Verum hic tangitur alia Hunnorum irruptio in Gallia an. 451 cum adversus Romanos, eorumque ducem Aetium dimicarunt, et vastatis Galliis, parvulos secum asportarunt.

Resp. « Si nullo pacto meminerint, conferendum iis videtur, quod collatum esse nescitur ».

Inquis. XIX. «De his qui parvuli quidem baptizati a gentilibus capti sunt, et cum illis gentiliter convixerunt, cum ad Romaniam adhuc juvenes venerint etc. » Cui interrogationi responsio nihil ad nos.

Et in Epist. ad Neonem Ravennatensem, Ep. 166 (al. 135) similis adest consultatio de captivis ad sedes suas libere redeuntibus (1), qui in infantia ab hostibus abducti reminisci non poterant utrum baptisma percepe-rint: cui rescribit Pontifex ut ad inquis. XVII Rustici Narbonensis.

51. Indirecta quoque et implicita, sed acie non penitus destitutis obvia generalis paedobaptismi mentio est in Epistola Felicis III ad Universos Episcopos, paenas in eos statuentis, qui rebaptizari se ab haereticis passi fuerant, et modum eorum receptionis in Ecclesiam praescribentis. « Pueris autem, quibus quod adhuc imberbes (al. impuberes, sed male) a pubertate vocabulum est, seu clericis, sive laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur aetatis, aliquandiu sub manus impositione detentis reddenda communio est, nec eorum expectanda communio est, quos excipit a coercitione censura: » et paulo post: « Illo per omnia custodito, ne ex eis umquam, qui *in qualibet aetate* alibi quam in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere » (2).

(1) Non solae Gallicae, sed etiam Italicae Provinciae usque ad Padum vastatae sunt ab Attila Hunnorum capite. Notandum quod haec Ep. an. 458 scripta, Encyclica est, et Synodica juxta doctissimos Ballerinios, et non ad solum Neonem directa.

(2) Haec est illa Synodica Epist. quae ex Conc. Rom. III. sub Felice missa est ad omnes Episcopos, quaeque Romae detenta consignata est nota consulari an. 488 quo in Africam transmissa fuit.

52. Sed pulchram illam confessionem a Sirmondo editam, et Prosperi Aquitani (1) nomine insignitam quid vetat aliis documentis accudere? Nam etsi ejus quisquis sit Auctor de se inter primos lucis haustus baptizato loquatur, non in se tamen sistit, sed ipsam baptismi festinationem laudat, et inter Divina beneficia reponit: « Nato mihi quodam sub lege peccati, et transfusa in me a parentibus ordinaria mortis conditione captivo, ne longo ferocis domini jure detinerer, inter ipsa me vitae initia misericors, et liberator Domine liberasti.. prius adeptus sum redemptionem, quam intelligerem servitutem. Quaerantur qui volunt de salutis suae celeritate *ad excusationem violatae regenerationis rudem aetatem, et imprudentes causentur annos*, mihi semper adorabitur velox dignatio, et properata clementia. Nam velut ignaro mihi, hoc unum profuisse intelligo, quod licet ego a donis tuis recesserim, in me tamen tua dona manserunt. Renatus itaque in Christo Jesu per Sp. S. Tuum haeres adscriptus, filius nuncupatus nihil minus quam senior frater accepi. Quin etiam remisso legalis observantiae onere, initiatus a gratia, non de Jacob, sed de Esau, Israel tuus factus sum. Felix profecto, si acceptam substantiam, non dicam multiplicatam, sed integram, vel otiosa innocentia, si non operante servassem! » (2)

(1) Qua in urbe Aquitaniae, et quo praecise anno natus ignoratur. Certum tamen est eum, jam an. 428, Aquitania relicta, *in Provincia* domicilium posuisse.

(2) In Mss. Ioliensi int. Opp. S. Prosperi. Antelmius in Diss. Critic. de Opp. S. Prosp. eam dicit a stylo Prosperi dissimilem, et ejusd. famae non valde consentaneam. Alius vero ecclesiasticorum Monumentorum peritissimus satis eleganter scriptum opus judicat, ut Magno Prospero tribuatur. Nihil itaque certi hac in re statutum; itaque et nos litem sub judice relinquimus.

53 Quid? quod Alcimus (1) Avitus Viennensis Antistes utitur exemplo parvulorum in baptismo renascentium ad refellendam sententiam Fausti Rejensis, nimis ut putabat, genericam, fidem operibus nudam ad salutem non proficere. (2) Sic enim in Ep. 4, ad Gundobadum regem (3) alloquitur « Propter quod tam rigidam de fide sententiam, aut extraneus potuit praesumere, aut noster debuit temperare. Quod si dignanter admittis, conjectura breviter, exemplisque patefaciam. Fidem esse bonorum omnium spiritualium fundamentum, per hanc primitus informata Christianorum rudimenta testantur. Nam si baptizatus aut etiam translatus ab haeresi qualibet *parvulus*, vel forsitan aevo longiore provectus, celeri post lavacrum fine rapiatur, nec ipse operis jactitator abnuerit, hominem sola fide salvatum. »

54 Ex ejusdem Aviti Viennensis Epistolis innotescit, Senarius ille vir illustris, quem Mabillonius, Muratorius, Martenius ignorare fatentur. Ad hunc porro Senarium Epistolam habemus valde insignem Joannis S. R. E. Diaconi, (4) in qua expositis ritibus in adultorum baptismo ce-

(1) Filius Isicii, seu Hesychii clarissimi Senatoris, deinde Viennensis Episcopi, cui in eadem Sede successit circa an. 430.

(2) Faustus Rhegiensis Pelagianismi occultus confirmator, responsione ad quaesita Paulini Burdigalensis scripserat fidem solam ad salutem non sufficere, sed opera etiam requiri: quod sic intellexit Avitus, quasi parvulos baptizatos non exciperet; cum Faustus de solis loquatur adultis, ut declarat lib. 1 de Gratia, et lib. Arb. c. 7. « *Fidem expectat a parvulis, opera cum fide a consummatis requirit* ».

(3) Gundobodus Rex Burgundiorum, quem Clodoveus armis subegit, ac vectigalem fecit ann. 500. Patricio, et Hypatio Coss. ut refert Marius in Chron.

(4) « De variis ritibus ad baptismum pertinentibus, et aliis observatione dignis ». Ex communi sententia floruit Joannes sub finem saec. V quamvis Muratorius, quod Senarium ignoraret, suspicatus fuerit uno ante saeculo eum vixisse.

lebrari solitis, eorumque mystica significatione n. VII. ite pergit « Illud autem ne praetermissum videatur, ante praedicimus, quod ista omnia *etiam parvulis* fiant, qui adhuc pro ipsius aetatis primordio nihil intelligunt. Unde scire debetis, quia dum a parentibus, aut a quibuslibet aliis offeruntur, aliena eos professione salvari necesse est, qui fuerant alieno errore damnati. »

55 S. Petrus Chrysologus qui Ravennatensis Ecclesiae regimen accepit an. 433. plures habuit ad baptizandos conciones: propositae autem disputationi consona si quaerimus, adeundus est sermo X. de infidelibus ad fidem ducendis, ubi ita fatur. « Quid admoneat vox divina planius jam loquamur » « Afferte Dño filios arietum » « Afferte Dño baptizandos, afferte quos fides concipiat, non caro; afferte quos Dei gratia generat, non mundana natura: afferte quos agnos praestet innocentia, non habeat pecoris hebetudo: afferte, afferte quos sponte venire aut necessitas vetat, *aut aetas impedit*.... (1) facite vobis de aliena necessitate mercedem: *filium pater offerat, non retardet, ut cui praesentem vitam praestitit, conferat et futuram*.... Attrahite nolentes.... Quomodo se christianum credit, qui non Christo annosa, et vetera ducit? Aut quomodo domum suam judicat ovile Dei, *ubi non pascuale germen Dei pecus dat balatum*? Obsecro, obtestor fratres carissimi, per Dominum nostrum, ut in hoc vigiletis omnes, quatenus his diebus *nullus a Dei gratia, nullus a regeneratione Divina relinquatur extorris*.... Homines sumus sub incerto viventes, et nescimus quid pariat superventura dies. Agamus ergo dilectissimi, ne servi, ne filii,

(1) « Vel senes, vel potius infantes, quia jam tunc temporis baptisma etiam infantibus ministrabatur ». Nota Edit. Secunda disjunctionis pars certo certius ex contextu elucet.

ne conjuges, ne parentes, praeventi morte, et praesenti vita careant, et non perveniant ad futuram. »

56 Ac ne Praesulum latinorum voto, desit Christianae quoque plebis suffragatio, praesto est Victor Episcopus Vitensis, vel Uticensis in Historia de persecutione Wandalica (1) lib. 2. c. XI. ubi referens populorum confluxus ad contuendos Martyres a Mauris asportatos. «Quantae et tunc multitudines, inquit, de diversis regionibus, et civitatibus ad visendos Dei Martyres occurrerint populorum testantur viae, vel semitae, quae cum agmina venientium nequaquam caperent per vertices montium, et concava vallium concurrentes turbae fidelium inaestimabiles descendebant, cereos manibus gestantes, suosque infantulos vestigiis martyrum projicientes, ista voce clamabant: quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? *qui hos baptizaturi sunt parvulos, fontibus aquae perennis*? »

57 Conspirat cum Latinis haud exigua manus Patrum, Scriptorumque graecorum, ad eorum censum pertinentium, quos Pelagiana controversia nullatenus comprehendit—S. Isidorus Pelusiota, quem satis constat post an. 434. supremum diem obiisse, Ep. lib. 3. ep. 135. Hermino Comiti « Quoniam magnificentia tua per litteras ex me quaesivit, quid sit causae, *cum infantes cum peccatis careant buptizentur*, necessario tibi rescribendum esse putavi. Quidam enim nimis tenuiter, et jejune ajunt, eos spurcitiam eam, quae ob Adami transgressionem ad humanam naturam transfusa est, eluere. Ego vero hoc quidem etiam fieri persuasum habeo, at non solum.... verum etiam alia quoque multa naturam nostram longe su-

(1) Auctore ipso indicante circa ann. 427 conscripta.

perantia beneficia nobis concessa esse. (*) » Et lib. 1. Ep. 125. Gregorio Episcopo: *de Angelo qui Moysi occurrit, illumque occidere voluit.* « Malis, inquit, circumdati sumus, *filios quamprimum baptizemus...* quippe. Judaei baptismi loco, circumcisione utebantur. (**) Theodoretus Cyrensis Episcopus, lib. 5. Comp. haer. fab. c. 18 refellens Messalianorum errores circa Baptismum «Non enim, inquit, ut amentes putant Messaliani novacnlam tantum imitatur Baptismus, praecedentia auferens peccata: hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hoc solum opus erat Baptismatis, *quorsum infantes baptizamus,* qui peccatum nondum gustarunt? (***) « Auctor (1) Quaestionum, et Resp. ad Orthodoxos qui olim, sed falso Justinus Martyr credebatur, Quaest. 56. » Si *morientes infantes,* nec laudem, nec vituperium habent ex operibus, ecquod in resurrectione discrimen inter eos qui ab aliis baptizati nihil egerunt, et eos, qui non baptizati nihil pariter egerunt? *Resp.* Hoc discrimen est inter baptizatos, et non baptizatos, quod baptizati, bona baptismo adjun-

(*) Ἐπειδὴ γέγραφέ σου ἡ μεγαλόνοια βουλομένη μαθεῖν διὶ ἣν αἰτίαν τὰ βρέφη ἀναμάρτητα ὄντα βαπτίζεται, αναγκαῖον ὡήθην ἀντεπιστεῖλαι. Τινὲς μὲν οὖν σμικρολογοῦντές φασιν, ὅτι τὸν διὰ τὴν παράβασιν τοῦ Ἀδὰμ διαδοθέντα τη φύσει ῥύπον ἀποπλύνονται. Ἐγὼ δὲ καὶ τοῦτο μὲν γίνεσθαι πιστεύω, οὐ μὴν μονον (οὐδὲν γαρ ἂν τοσοῦτον ἦν), ἀλλὰ καὶ ἄλλα πολλὰ μακρῷ τὴν ἡμετέραν ὑπερβαίνοντα φὺσιν δεδόσθαι χαρίσματα·

(**) Τοῖς κακοῖς εκυκλωθημεν, σπουδαίως παιδία βαπτιζωμεν ... Ἀντὶ βαπτίσματος γὰρ τῇ περιτομῇ Ἰουδαῖοι ἐκέχρηντο·

(***) Οὐ γὰρ ὡς οἱ φρενοβλαβεῖς Μεσσαλιανοὶ νομίζουσι, ξυρον μόνον μιμεῖται τὸ βάπτισμα τὰς προγεγενημένας ἀφαιρούμενον ἁμαρτίας. Τοῦτο γὰρ εκ περιουσίας χαρίζεται. Εἰ γὰρ τοῦτο μόνον ἔργον ἦν του βαπτίσματος, ἀνθ' ὅτου τα βρέφη βαπτίζομεν οὐδέπω τῆς ἁμαρτίας γευσάμενα ;

(1) Eum Syrum fuisse, et non ante, nec post quintum vixisse saeculum ex non obscuris notis judicat doctissimus Benedictinus Marandus.

cta consequantur; bona antem Baptismo adjuncta consequuntur *per fidem eorum, qui illos ad baptismum afferunt.* « Tam in proposita quaestione, quam in ejus solutione, supponitur vulgata consuetudo tingendi infantes. Inter opera Athanasii duo extant opuscula certe spuria, sed tamen antiqua, atque idcirco nobis haud contemnenda, qui de re in facto posita veteres, quicumque illi fuerint, interrogamus. Porro Quaest. 2. ad Antiochum ducem « Undenam cognoscit homo se baptizatum plane esse, ac spiritum accepisse, cum esset infans in Sancto baptismate? *Resp.* Isaias propheta, inquit ad Deum « Propter timorem tuum Domine concepimus, et peperimus Spiritum salutis» Quemadmodum ergo praegnans mulier ex faetus, quem in utero habet, agitatione, certo se novit fructum suscepisse: sic et anima veri christiani, non ex verbis parentum, sed ex rebus ipsis, et motibus cordis sui, maxime vero diebus festis, et illuminationum, seu baptismatum, ac comunicationis sancti Corporis, et Sanguinis Christi, ex gaudio animae suae discit, se baptizatum accepisse Spiritum Sanctum. » Inepta sane responsio, ut minimum dicam: sed nos, ut monui, factum quaerimus, non doctrinam. Auctor quaest. in N. T. sive idem sit, sive a praecedente diversus, explicans verba illa Luc. 13. 6. » Ficum habebat quidam in vinea, etc. Resp. Ficum Scriptura vocare solet peccatis obnoxiam animam: vineam vero fidelium Ecclesiam.... Quando igitur in Ecclesia vitam ducunt fide sua indignam, non vinea vocantur, sed ficus. Quia a *tenera quidem aetate ut par est* in ea *per baptismum* plantati» etc. Et Quaest. 92 in illud Pauli: «Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus » etc. Resp:... « Sicut Christus mortuus est, et tertia die resurrexit, sic et nos in baptismo mo–

rientes resurgimus. Nam *quod infantem ter in piscinam mergimus* et ter educimus, id mortem Christi, et post triduum resurrectionem significat. »

58 Sed controversia a Pelagianis excitata circa peccati originalis existentiam, et propagationem, in causa fuit, cur doctores catholici de more baptizandi parvulos tam copiose, frequenterque dissererent, ut eorum auctoritate ac testimoniis, Augustini praesertim, in pleniorem lucem adducta fuerit sententia, quam propugnare aggressi sumus.

## § IV.

Sequitur probatio ex PP. ac monumentis V saeculi ad controversiam Pelagianam pertinentibus - Pelagianae haereseos conditores agnoscunt, et fatentur universalem Ecclesiae praxim baptizandi parvulos. – Exinde Catholici Doctores validissime insectantur Pelagianos. – S. Augustinus. – S. Hieronymus. – Paulinus Diaconus. – Auctor Epistolae ad Demetriadem. – Faustus Rhegiensis - Auctor praedestinati. – Auctor libri de Vocatione gentium. – S. Prosper Aquitanus. – Gennadius Massiliensis – Testimonia RR. PP. - S. Caelestinus. – S. Zosimus. – S. Gelasius. – S. Innocentius I. – Concilium plenarium Carthaginense.

59 Cum enim Pelagiani inficiarentur derivationem primigeniae labis in omnes homines, alterutrum necessario ipsis asserendum fuit, vel parvulis necessarium non esse baptismum, vel ad alium effectum ipsis conferri, quam ad remissionem alicujus peccati generatione contracti. Si Pelagiani nullam, vel valde limitatam invenissent consuetudinem parvulos baptizandi, quomodo priorem consectarii partem non arripuissent? sed contra tamquam in scopulum immobilem impegerunt in praxim oppositam, quam cum declinare non possent ad alteram consecutionis partem tuendam se verterunt, ut proinde juxta celebrem confessionem Caelestii, acerrimi Pelagianae haereseos signiferi, et defensoris in libello quem Romae publicavit,

ingenue fateretur: *infantes baptizari ... secundum regulam universalis Ecclesiae, et secundum Evangelii doctrinam,* non tamen in remissionem peccatorum, sed ad regnum coelorum consequendum, cum nimis clare Dominus intimaverit « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei » vel etiam juxta confessionem Rufini Palaestini, (1) in hunc finem ajebant parvulos baptizari, ut in *Christo creentur, et secundum B. Paulum complantati propter similitudinem mortis Christi etiam ipsius resurrectionis cohaeredes existant.* » Quod si aliquando concedebant, eos baptizari in remissionem peccatorum, non desinebant tamen docere, infantes nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expiari debeat. (2).

60 Jamvero Patres, et signanter B. Augustinus as-

(1) « Sin vero, ut ipsi asserunt, propter peccatum Adae moriuntur infantes, dicant nobis cur statim baptizati mortem gustare permittuntur? Quippe cum omnes, qui baptizati sunt, ac propter hoc filii Dei facti peccatum habere non possunt. Et si quidem propter peccatum Adam baptizantur infantes, qui ex parentibus Christianis nati sunt baptizari minime debebunt, et quasi sancti perinde haberentur, quia de parentibus sunt fidelibus procreati... Baptisma igitur infantes non propterea percipiunt, sed spiritualem procreationem habentes, quasi per baptisma in Christo creantur . . . . Unde et Cornelius, qui testimonio Dei justitia nitebatur, quippe baptisma Spiritus perceperat.... necessario tamen etiam illo baptismate quod per aquam traditur dignus habitus est, ut secundum B. Paulum complantatus propter similitudinem mortis Christi, ipsius resurrectionis cohaeres existeret ». In libr. de fide Rufini Palaestini, quem alium ab Aquilejensi docet Vallarsius in Notis.

(2) Hac arte fraudulenta, et ambiguitate verborum haereticis propria, Pelagius fucum fecit Piniano, Albinae, et Melaniae, qui cum illum audissent respondentem « quod iisdem, quibus, et majores sacramenti verbis (adeoque in remissionem peccatorum) baptizantur infantes » non mediocriter laetati sunt, ut Augustinus scribit lib. de peccato Orig. c. 1. Sed idem S. Doctor c. 21 observat, hoc eum fallaciter respondisse « tanquam infantibus remissio peccatorum verborum sonitu diceretur, non rerum ageretur effectu ».

sumunt factum a Pelagianis admissum, utpote *totius orbis frequentatione notissimum*, tamquam *principium demonstrationis* ad evertendam Pelagianorum hypothesim, et Doctrinam Catholicam confirmandam. Audiatur ex. gr. S. Augustinus Serm. X (1) de Verb. Apostoli Cap. 2 » Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. Quis est iste sermo? Quia Christus Jesus venit in mundum. Ut quid? peccatores salvos facere. Quid tu? Quorum primus ego sum. Qui dicit, vel non sum peccator, vel non fui, ingratus est Salvatori. Nullus hominum, in ista quae ex Adam defluit massa mortalium, nullus omnino hominum non aegrotus, nullus sine gratia Christi sanatus. Quid de parvulis pueris, si ex Adam aegroti? Nam et ipsi portantur ad Ecclesiam . . . . alienis pedibus currunt ut sanentur . . . . Quoniam non est opus sanis medicus, sed aegrotantibus. Quid necessarium ergo habuit infans Christum, si non aegrotat? Si sanus est, quare per eos, qui eum diligunt, medicum quaerit? Si quando portantur infantes dicuntur omnino nullum propaginis habere peccatum, et veniunt ad Christum, quare non eis dicitur in in Ecclesia qui eos portant, auferte hinc innocentes istos... *Numquam dictum est, sed nec aliquando dicetur.* » Similia habet Serm. 174 alias 8 de Verb. Ap. n. 7 et 8. (2) et

(1) Apud Migne cujus editione utor est 176.

(2) « Qui dicit infantilem aetatem non habere quod salvet Jesus, omnibus fidelibus infantibus Christum negat esse Jesum; qui dicit inquam infantilem aetatem non habere quod salvet Jesus in ea, nihil aliud dicit, quam Christum Dominum fidelibus infantibus, idest in Christo baptizatis infantibus non esse Jesum. Jesus enim quid est? Interpretatur Jesus, Salvator. Salvator est Jesus. Quos non salvat non habendo, quod in eis salvet, non est illis Jesus. Jam si corda vestra tolerant, aliquibus baptizatis Christum non esse Jesum, nescio *utrum fides vestra in regula sana* possit agnosci. Infantes sunt, sed membra ejus fiunt. Infantes sunt, sed Sacramenta ejus accipiunt. Infantes sunt, sed mensae ejus participes fiunt (post

n. 9 ferme in compendium redigens quae antea fusius elocutus fuerat « Commendaverim, inquit, charitati vestrae causam eorum, qui pro se loqui non possunt. Omnes parvuli tamquam pupilli considerentur, etiam qui nondum parentes proprios extulerunt. Omnis praedestinatorum numerus parvulorum, populum Dei quaerit tutorem, qui expectat Dominum Salvatorem. Universam massam generis humani in homine primo venenator ille percussit... nemo ad secundum (Adam) transit a primo, nisi per Baptismatis Sacramentum. In parvulis, et nondum baptizatis, agnoscatur Adam, in parvulis natis, et baptizatis, et ob hoc renatis agnoscatur Christus. Si tu renascendo vivis, *sine ut ille renascatur, et vivat: sine*, inquam *renascatur: sine renascatur*. Quare contradicis? etc. »

61 Praeiverat Augustino Hieronymus laudans lib. 3 Dial. adv. Pelagianos epistolam celeberrimam Cypriani ad Fidum: (1) ex eaque evincit baptizandos parvulos non in regnum coelorum tantum, prout Pelagiani effutiebant, sed in primigeniae labis purgationem. (2)

baptismum juxta morem illius temporis) ut habeant in se vitam. Quid mihi dicis: sanus est non habet vitium? Quare cum illo curris ad medicum si non habet vitium? Non times ne tibi dicat: aufer hinc eum quem putas sanum? Filius hominis non venit, nisi quaerere, et salvare quod perierat. Quare illum ad me affers si non perierat?.... Sic habete in corde: sic credite: cum ista fide parvulos ad gratiam Christi portate: ne si hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus respondetis lingua vestra occidatis. Prorsus, fratres, qui non cum ista fide cum parvulo occurrerit, fingit. Sanus est, nihil mali habet, nihil vitii habet: sed tollam illum ad medicum. Quare? quia sic solet fieri. Non timet ne tibi dicat medicus: Tolle hinc tecum ipsum: non est opus sanis medicus, sed male habentibus? » (Matt. IX. 12).

(1) Quod facit etiam S. Aug. lib. 3 de peccatorum meritis, et remissione c. 4 n. 9.

(2) Etenim n. 18. Critobolo in persona haeretici interroganti: « Dic quaeso, et me omni libera quaestione, quare infantuli baptizantur? » Atticus in persona Catholici respondet. « Ut eis peccata in baptismate di-

62 Omnes deinde Catholici Doctores qui adversus Pelagianos calamum acuerunt, vestigia Hieronymi, et Augustini sectantes, idem perpetuo versabant argumentum, cujus vim nulla poterant arte, et conatu eludere osores catholici dogmatis de peccati originalis in omnes Adae posteros transfusione. Paulinus Diaconus libello adversus Caelestium Zosimo Papae oblatum «Contra Apostolicam sententiam, ait, venire nituntur, negando originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit... quod *in infantibus* nisi per Sacramentum Baptismi dimittatur, vitam aeternam, et regnum caelorum habere non possunt. Habet adversum se *veteres Ecclesiarum Doctores* plurimos, orientales, et occidentales... Habet B. Cyprianum M.... Habet, quod primum est Beatitudinem tuam:.. *Habet postremo ipsos lactentes*, quibus misereri debeat, si sibi non vult, quibus ut verbis Martyris utar, non propria, sed aliena dimittuntur peccata.

63 Auctor Epistolae ad Demetriadem (1) c. X. probans ex bonis operibus superbiam, et Pelagianam haeresim esse natam, nec non et Pelagianorum reliquias: « Hinc, ait, Adae peccatum exemplo posteris asserit nocuisse non transitu: *hinc evacuatio baptismatis parvulo-*

mittantur.... Quod si objeceris esse aliquos qui non peccaverunt, intellige eos, illud non peccasse peccatum, quod peccavit Adam praevaricando in paradiso praeceptum Dei. Ceterum omnes homines aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine tenentur obnoxii. Qui parvulus est, parentis in baptismo vinculo solvitur.... Ac ne me putes haeretico sensu hoc intelligere, B. Martyr Cyprianus, cujus te in scripturarum testimoniis digerendis aemulum gloriaris, in epistola, quam scribit ad episcopum Fidum de infantibus baptizandis haec memorat: Porro autem si etiam gravissimis delictoribus: etc. »

(1) Olim inter opera vulgata Ambrosii; Quesnellus Leoni Papae adscribendam censuit; sed Sotellus, Anthelmius, novissimi Opp. S Prosperi editores, Aquitano Scriptori tribuendam esse contendunt.

*rum*, qui sola adoptione donari, nullo autem reatu dicerentur absolvi. »

64 Faustus Rhegiensis in Gallia Episcopus lib. de gr. et lib. arb. (1) c. 15. impugnans Pelagianorum assertionem « eos qui post baptismum pereunt, penitus non credidisse: Quod si culpa incredulitatis, inquit, causa est perditionis, *quid de parvulis sentiemus*, quibus in parentum devotione, et in *lactentis infantiae simplicitate* integrae fidei pervigilia deputantur, qui absque ullo infidelitatis periculo, immaculata regenerationis munera consequuntur, et multi eorum processu aetatis in mortis praecipitia demerguntur? »

65 Anonymus auctor *Praedestinati*, qui Sirmondo, et Petavio Fausto Regiensi antiquior videtur, ad haeresim 88 refert, propositionem ex Caelestii scripto excerptam « *Infantes in remissionem peccatorum baptizandos esse ideo confitemur, propter regulam universalis Ecclesiae* ». Quae confessio Pelagianorum, vel sola rem nostram evincit: sed quoniam Pelagiani regulam universalis Ecclesiae a fide, sensu, ac ratione ejusdem Ecclesiae in ea regula servanda distrahebant, asserentes, « infantes non ideo baptizandos, quia habere possint originale peccatum » idcirco subdit anonymus, eos oretenus a quodam Constantio disputatione revictos, et postea ab Augustino, et Hieronymo scriptis exagitatos, ac demum ad relationem pene omnium Afrorum episcoporum a Romano Pontefice Innocentio damnatione perculsos: et lib. 3. refutans librum sub Augustini nomine falso confictum c. 24 «Anathematizamus ait, omnes qui dicunt adjutorio Dei sublato posse hominem sine peccato esse si velit: anathema-

(1) Conscript. circa an. 490.

tizamus qui dicunt, de duobus baptizatis qui nascitur baptismo indigere non posse: anathematizamus qui dicunt *infantes* non debere in remissionem peccatorum baptismatis sanctificatione censeri ».

66 Auctor libri de vocatione omnium gentium (1) c. 16. ostendere volens inscrutabilitatem divinorum judiciorum, utitur exemplo parvulorum quorum alii baptizati vitam assequuntur aeternam, alii sine baptismo decedentes perpetuae miseriae deputantur: et cap. XXII. eos qui dicunt electionem divinam referendam esse ad merita voluntatis humanae simili argumento refellit. « Fato autem non baptizari parvulos, nec Pelagiani potuerunt dicere . . . . Cum autem de discretione omnium hominum quaestio ventilatur, et ab omnibus hominibus parvuli nequeant separari, simulque de totius aetatis hominibus veritas dixerit: « Filius hominis venit quaerere, et salvare quod perierat » Luc. XIX. 10, frustra profunditatem inscrutabilis gratiae per liberum arbitrium conantur aperire, qui causam electionis in eorum constituunt meritis, qui eliguntur ». Quae quidem argumentatio omnino postulat praxim baptizandi parvulos ubique liberam, expeditam, nullaque aeconomica limitatione coercitam: alioquin exinde peti posset responsio ad quaestionem: cur tot infantes baptismati praemoriantur? et argumentum inde deductum ad comprobandam liberam gratiae electionem petitum ex inscrutabilitate Divinorum judiciorum vel solveretur omnino, vel facile infirmaretur. Cum autem c. XIX asseruisset voluntatem Dei salvificam extendi ad omnes homines cu-

(1) De Voc. omnium gentium libri duo in Mss. quibusdam Ambrosio adscripti: Erasmus Eucherio, Vossius Hilario Prosperi familiari, Quesnellus Leoni M. Antelmius Prospero attribuunt. Scripti existimantur inter an. 440 et 496.

jusvis aetatis, et objectionem sibi proposuisset ex parvulis sine baptismo praereptis, his quidem docet non defuisse divinae gratiae generale beneficium, sed bonam parentum voluntatem, qui naturali suorum infirmitati per obvium remedium baptismi consulere distulerunt. « Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem quae semper universis est impensa nationibus: qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiae, sub arbitrio jacent voluntatis alienae, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest, et consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate, vel dissimulatione non credunt. Et cum ipsi nec praesentis vitae desiderium habuerunt, nec futurae, quam ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci. Sicut autem circa majores, praeter illam generalem gratiam, parcius, atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur, ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quae quidem, nec illis, qui renati non sunt in parentibus defuit, sed iis qui renati sunt prae parentibus affuit: ita ut multis saepe, quos suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit, et ad regenerationem venerint per extraneos, quae eis non erat providenda per proximos ».

67. Ecquis porro non videt juxta mentem Auctoris certe sapientissimi, festinationem baptismi esse applicationem generalis Providentiae, et bonum usum gratiae

comunis; illius vero dilationem cum generali hoc Providentiae, et gratiae munere, voluntatis salvificae indice, et effectu non posse componi? Est igitur falsa, et impossibilis oeconomia illa quam nonnulli praeteritis saeculis viguisse comminiscuntur relate ad baptismum parvulorum: sed haec alterius loci erit quaestio.

68 S. Prosper Aquitanus fidelis B. Augustini discipulus, et Pelagianorum acerrimus insectator in responsionibus ad objectiones Gallorum (1) c. 4, eodem quo auctor libri de Vocat. gent. argumento ducto ab infantibus sine baptismo morientibus probat gratuitum esse decretum divinae electionis ad gratiam, et regnum. Rursus in lib. cui titulus « Praeteritorum Sedis Apostolicae Episcoporum auctoritates de gratia et libero voluntatis arbitrio » c. IX. (al XII) (2) «Illud etiam, inquit, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis, et exufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur..» Et lib. contra collatorem (3) c. XIII. «Etiam hoc inquit, quod ait (Collator) in homine remanere semper liberum arbitrium ex aliqua parte non constat: siquidem multa millia infantium in Regnum Dei assumptorum, aut a Regno Dei extraneorum sine ullius suae voluntatis arbitrio, gratiam Dei aut accipiant aut amittant etc.» Car-

(1) An. cir. 431.

(2) Ut hujus opuscoli auctorem Prosperum credam, facit auctoritas Antelmii, Pagii, Constantii, quorum sententiae Ballerinii fratres calculum adjicere non verentur.

(3) An. cir. 432.

mine demum de ingrat. (1) p. 1. 25. Pelagianam opinionem sic exponit:

« Tam dives vero hoc donum baptismatis esse.
Et tam multa homini conferri foedere in isto,
Ut parvis etiam, vitioque carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores:
Naturaeque bono adiecto illustretur honore.
Nullum autem ex cunctis exsortem muneris hujus
Jndicio genitum esse Dei » etc: et v. 515.
« Dicite cum infantes renovantur, non renovari
Insontes animas. et sola carne renasci
Exterius lotos, non existentibus illis
Interius maculis etc.

69. Gennadius Massiliensis, (2) lib. de Eccl. Dogmat. c. 31, exscribit verba a B. Prospero relata in libro «Praeteritorum Sedis Apostolicae auctoritates de gratia, et libero voluntatis arbitrio c. 9. al 12. quae assutae habentur epistolae S. Caelestini I. R. P. ad omnes Galliarum Episcopos contra haeresim Pelagianam an. circ. 430 conscriptae. (3) Neque solus Caelestinus ex usitato in Ecclesia sine delectu ac discrimine infantium baptismate arguit contra Pelagianos pro existentia originalis peccati, sed Zosimus, Gelasius, Damasus, Innocentius.

70 S. Zosimi testimonium affert Augustinus in Ep. 190 n. 23. Pelagianos ita perstringens « Non est enim

(1) An. cir. 429-30.

(2) Claruit circ. an. 435 quo Cathalogum suum clausit, et lib. de Fide ad Gelasium Papam misit juxta Cave.

(3) Utrum subnexae Caelestini Epistolae auctoritates fuerint ab ipso Caelestino missae ad Episcopos Galliae, an ab alio fuerint posteriori aevo adjectae magna quaestio est inter eruditos, quam vide breviter, sed valide discussam apud Migne Patr. Lat. Tom. 50 pag. 552 seq.

falsa etiam in parvulorum baptismate remissio peccatorum, nec verbo tenus dicitur, sed veraciter agitur. Nam ut jam verbis utar quae in Epistola Beatissimi Antistitis Zosimi leguntur: « Fidelis Dominus in verbis suis, ejusque baptismate, ac verbis, idest opere, confessione, et remissione vera peccatorum in omni sexu, aetate, conditione generis humani eamdem plenitudinem tenet etc ».

71 Gelasius in Epistola 7. ad omnes Episcopos per Picenum, probans etiam parvulos infici contagio praevaricaricationis antiquae « Hinc est, inquit, quod cathechizantur, et exufflantur infantes; » et inferius «De parvulis autem, quod asserit sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est: Quamvis enim recentes ab utero matrum in remissionem peccatorum baptizari nullus Christianus ignorat, quod utique non fallaciter, sed veraciter catholica celebrat Ecclesia, ne in Sacramentis caelestibus, (quod absit) mentita videatur, proinde quia propria non habeant ulla peccata, constat eis sola prorsus originalia relaxari ».

72 S. Innocentius I. in Ep. ad Concilium Milevitanum contra Pelagianos scribens. « Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit praedicare parvulos aeternae vitae praemiis absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint Carnem Filii hominis, et biberint ejus Sanguinem non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc in eis regeneratione defendunt videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cum praedicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci, fateantur necesse est regenerationis sacra fluenta prodesse. Verum ut superfluorum ho-

minum prava doctrina, celeri veritatis possit ratione discindi proclamat Dominus in Evangelio dicens « Sinite infantes: et nolite eos prohibere venire ad me: talium est enim Regnum coelorum ».

73 Coronidis loco addimus geminos Canones conditos in Concilio plenario apud Carthaginem habito contra Pelagium, et Caelestium qui ita se habent. Can. II «Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod lavacro regenerationis expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vere, sed false intelligatur anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccarunt Rom. V v. 12 nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt ». Can. III. Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum « in domo Patris mei mansiones multae sunt» Joan. XIV. 2 ut intelligatur quia in Regno caelorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus ubi beate vivant parvuli qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum caelorum, quod est vita aeterna intrare non possunt, anathema sit. Nam cum Dñus dicat, « nisi quis renatus fuit ex aqua, et Spiritu Sancto non intrabit in Regnum caelorum» Joan. III, quis Catho-

licus dubitet participem diaboli fore eum, qui cohaeres non meruerit esse Christi? Qui enim dextera caret, sinistram procul dubio partem incurret ».

74. Alia permulta promi possent e V saeculi scriptoribus, ac monumentis utriusque classis ad propositam spartam cumulatius ornandam; sed quae in usum nostrum hactenus deduximus fidem facere possunt cuivis homini recte judicanti, saeculo Ecclesiae V consuetudinem baptizandi parvulos fuisse vulgatissimam, nullisque limitibus circumscriptam. Id enim ex Summorum Pontificum judiciis, Patrum sententiis, Conciliorum decretis, confessione denique haereticorum clare evincitur. Itaque ad historicae demonstrationis apicem, et complementum , ne fidem datam nos despondisse aliquis criminetur, aliquot e saeculo VI scriptores, ac documenta in medium afferemus, in quibus subjecta disputationi huic praxis aequali certe, sin majori evidentia, consignata reperitur.

## § V.

Probatio ex testibus, ac monumentis VI saeculi. – S. Gregorius M. – Concilium Matisconense. – Concilium Antissiodorense. – S. Fulgentius Ruspensis. – Auctor libri de Ecclesiastica Hierarchia. - Reliqua monumenta, ac testes indicantur.

75. S. Gregorius M. primo loco inter saeculi hujus testes nominandus, scribens ad Romanum Patricium, et Exarchum Italiae « Pervenit ad nos, inquit Blandum Episcopum Hortensis Civitatis longo jam tempore in Civitate Ravennate a vestra excellentia detineri. Et fit ut Ecclesia sine rectore, quasi sine pastore grex defluat , et ibidem infantes pro peccatis absque baptismate moriantur » Quod quidem eveniebat, quia olim

in sola Ecclesia Cathedrali, et ab Episcopo velut Ordinario ministro Baptismus conferebatur. Baptismati autem administrando juxta veterem disciplinam statuti erant solemniores quidam dies Paschae nempe, et Pentecostes: cum vero fideles de filiorum suorum baptismo admodum solliciti hos dies nullatenus expectarent, in Concilio Matisconensi an. 588 sub Pelagio II R. P. coacto Can. III. statutum est « ut extra tempora decreta Baptismi, nullus filios suos baptizet, nisi infirmitas nimia, vel dies extremus compulerit filios suos Baptismum suscipere »: quod pariter poena proposita inculcatur in Concilio Antissiodorensi an. 590 sub S. Gregorio M. celebrato c. XVIII. « Non licet absque Paschae solemnitate, ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est... Quod si quis in alio pago, contumacia faciente post interdictum hoc, infantes suos ad Baptismum detulerit, in Ecclesias nostras non recipiantur ». Quidquid sentiendum sit de illa pia fidelium sollicitudine, deque his particularium Synodorum sanctionibus, perinde valent ad probandum sexto saeculo currente tritum fuisse morem baptizandi parvulos universim, nulla interposita inter ipsos, et adultos, differentia.

76. Succedat S. Fulgentius Ruspensis Episcopus qui libro I de Veritate praedestinationis totus est ut ex eodem baptismo infantium probet contra Pelagianos, gratiam ex mera Dei misericordia non ex operibus dari. Et quia Pelagiani eo dementiae devenerant, ut etiam parvulorum futura opera bona, vel mala a Deo praevisa, in causa esse dicerent, cur baptismate initiati, vel sine baptismo hinc abriperentur, disjecta primum variis rationibus hac antiphilosophica hypothesi, probat S. Doctor, talium parvulorum negotium ad judicia Dei miserantis, vel juste

punientis esse referendum « A parvulo ergo qui nihil fecit, nihil faciendum Deus esse praescivit. Cur autem non ab eo abstulerit originale peccatum, nos quidem scire non possumus: hoc tamen eum juste fecisse, nullatenus dubitare debemus . . . . Ad quorum judiciorum occultam profunditatem . . . . credimus etiam parentum, sive quorumlibet hominum negligentiam pertinere: sicut etiam pro parvulo qui ad baptismum pervenit, parentum curam non dubitamus ad divinae gratiae munera referendam. Et si quidem parentes non fuerint pietate, ac bona conversatione praediti, Deus qui malis quoque bene utitur voluntatibus hominum, per malorum parentum sollicitudinem beneficium gratiae suae operatur in parvulo, si vero parentes boni sint, non solum parvulo bona voluntas parentum proficit, sed ipsis quoque parentibus ad meritum futurae retributionis accedit. Deus enim, qui operatur velle, et perficere pro bona voluntate, parentibus in se credentibus gratiam bonae voluntatis ipse largitur, ut pro parvulo piam sollicitudinem gerant, donec ad sanctae regenerationis remedium vitale perveniat. Quorum tamen nec cursus potest, nec ipsa bonae voluntatis sollicitudo pia sufficere, nisi eum dignetur Deus suae miserationis gratuito munere praevenire. Equidem *bona voluntas, quae a Domino pro parvuli regeneratione parentibus inspiratur, eos instigat ut currant, quatenus parvulus ad ablutionem salutaris aquae perveniat.* Verumtamen illius regenerationis effectus non cujusquam hominis volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui et voluntatem parentum excitat, et volentibus adjutorium donat. Ut ergo parvulus regenerationis opere redimatur, Redemptor misericorditer operatur, qui et

opportunitates praeparat, et voluntates ministrat, et personas tribuit, et loca concedit, quique non hoc, in solis parvulis, sed etiam in majoribus operatur». Quod mirifice illustrat exemplo Eunuchi, et Centurionis, et postea concludit: « Cum ergo scripturarum attestatione Sanctarum manifestum sit, quod Deus, cujus voluntati nemo resistit, cujus dispositionem nemo mutat, cujus judicia nemo comprehendit, secundum abundantes divitias gratiae suae, quas habet in bonitate super omnes, quos de massa damnata faciens vasa misericordiae in honorem gloriamque discernit, hominibus quoque ratione utentibus congruas ad salutem personas, aut procuret, aut deneget, in aliis scilicet justitiam tenens, aliis misericordiam tribuens; cur non etiam in baptizandis infantibus certissime credamus, ac libere proclamemus, diligentiam parentum ad gratiam redimentis, negligentiam vero ad judicantis Dei justitiam pertinere ?.... Deo igitur in hominibus misericorditer operante providentur etiam adjutoria personarum, atque opportunitatum, et ipsa facultas operis tunc invenitur ad baptizandum parvulum quando in eo Dominus statuit opus sanctae ablutionis implendum. Deus enim qui parvulum non volentem, neque currentem, fidei nescium, suae salutis, atque utilitatis ignarum, in quo nulla regenerationis petitio, nulla fidei potest inesse confessio, gratuita Sacramenti virtute mundat; ipse pro redemptione parvuli animos parentum, sive quorumlibet fidelium excitat voluntates, ut etiam illis cum timore, et tremore salutem suam operantibus proficiat ad bonae retributionis mercedem, per quorum piam curam infans perducitur ad salutem. Si enim mercedem suam non perdet, qui calicem aquae frigidae uni ex

minimis Christi in nomine discipuli dederit, quo sola in homine caro pascitur, quomodo mercedem non habebit, qui pia sollicitudine currit, ac satagit, ut caro infantis animaque salvetur? Quocirca etiam haec bona voluntas divinitus dari credenda est parentibus piis, qua fructum suae carnis, quem carnaliter editum noverunt originalis peccati contagione pollutum, non negligant spirituali regeneratione mundandum: neque tantum cupiant habere temporaliter haeredem, quantum desiderent, et vigilanter satagant Christi secum fieri cohaeredem ..... Verumtamen hanc laudabilem voluntatem illis procul dubio parentibus Deus tribuit, quibus per Spiritum Sanctum gratiam sanctae caritatis infudit. *Ipsi quoque ad vitam aeternam perveniunt . . . cum eis ad secundae nativitatis beneficium festinare non negligunt. Usque adeo vero manifestum est gratiam baptismi debere filiis a parentibus celeriter afferri, ut hoc non solum boni fideles solliciti facere soleant, sed etiam illi, qui ad filiorum Dei non pertinent numerum: qui scilicet cum fidelium censeantur nomine, negare convincuntur operibus fidem dum ea gerunt, quae fidei convenire non possunt..... Si vero aliqui parvulorum parentes Christiani (quod interim, quia multum a religione abhorret durum est credere)* christianae caritatis et suae non minus, quam filiorum salutis obliti, curam regenerandorum non habent parvulorum, non nostram sed Apostoli super hoc scelere sententiam audiant, et utinam contremiscant dicentis « Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior ». Sicut autem nemo habet ex Deo ut neget fidem, sic etiam negligentiam cujuslibet operis boni, nemo divinae imputare permittitur voluntati. Sicut autem *ad opus divinae gratiae*

*pertinet quod parentes pro regeneratione filiorum piam sollicitudinem gerunt*, ita illud quoque divini judicii est, quod Deus malas deserit voluntates, cùm parentes filiorum corporalem ita salutem diligunt, ut animarum in eis negligant sospitatem; curamque gerunt ut morituri vivant, nec metuunt si filii eorum cum reatu sempiternae damnationis intereant: ubi maximam culpam contrahunt, et crudelissimi parricidae spiritaliter fiunt ». Quisque videt totam hanc argumentationem Sanctissimi Praesulis sustentari praxi universali baptizandi parvulos: quae insuper dilucide asseritur, et commendatur, ubi adscribitur merito parentibus natos suos vere diligentibus festinatio baptismi, gravissimi autem criminis rei dicuntur illi, ob quorum morositatem, et segnitiem contingit, ut recentes a vulva pueri baptismo praemoriantur.

77. Si opus de Ecclesiastica Hierarchia esset indubitatus Dionysii Areopagitae factus, primus catenae traditionalis annulus fuisset inde petendus, cum autem saeculo demum sexto innotuerit, ac vulgari coeperit cum aliis libris eodem nomine praenotatis, nimirum in Collatione Constantinopolitana anno 533 inter Catholicos, et Acephalos, seu Severianos habita, nemo mirabitur, si in extremum oppositum collocemus locum praestantissimum decerptum ex capite VII § 11 ita se habentem (*) « Quod autem *infantes quoque qui per aetatem ne-*

(*) Τὸ δὲ, καὶ παῖδας, οὔπω τὰ θεῖα συνιέναι δυναμένους, τῆς ἱερᾶς μετέχους γίγνεσθαι θεογενεσίας καὶ τῶν ἱερωτάτων τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας συμβόλων, δεκτεῖ μὲν, ὡς φῄς, τοῖς ἀνιέρεις εὐλόγου γέλωτος ἄξιον, εἰ τοὺς ἀκοῦσαι μὴ δυναμένους ἐκδιδάσκουσιν οἱ ἱεράρχαι τὰ θεῖα, καὶ τοῖς μὴ νοοῦσιν εἰκῇ παραδιδόασι τὰς ἱερὰς παραδόσεις· καὶ τὸ ἔτι γελοιότερον, ὡς ὑπὲρ αὐτῶν ἕτεροι τὰς

*queunt intelligere divinae regenerationis*, sanctissimorumque divinae comunionis mysteriorum participes fiant, videtur, ut inquis, hominibus prophanis, non immerito risu dignum, quod Pontifices eos erudiant, qui nequeunt audire, sanctasque traditiones non intelligentibus frustra tradant, neque minus ridiculum est, quod alii pro iis abrenuntiationes, sacrasque professiones pronuntient. Verumtamen hac de re id quoque dicimus, quod

ἀποταγάς φασι, καὶ τὰς ἱερὰς ὁμολογίας... Πλήν γε, ὅτι καὶ περὶ τούτου ταῦτά φαμεν, ἅπερ οἱ θεοειδεῖς ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ, πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως, εἰς ἡμᾶς προήγαγον. Φασὶ γὰρ ὅπερ ἐστὶ καὶ ἀληθὲς, ὅτι, κατὰ θεσμὸν ἱερὸν ἀναγόμενα τὰ βρέφη, πρὸς ἕξιν ἱερὰν ἥξουσι, πάσης ἀποτελούμενα πλάνης καὶ ἀνιέρου ζωῆς ἀπείρατα. Τοῦτο τοῖς θείοις ἡμῶν καθηγεμόσιν εἰς νοῦν ἐληλυθὸς, ἔδοξεν εἰσδέχεσθαι τὰ βρέφη κατὰ τόνδε τὸν ἱερὸν τρόπον, ὥστε τοὺς φυσικοὺς τοῦ προσαγομένου παιδὸς γονέας παραδιδόναι τὸν παῖδά τινι τῶν μεμυημένων ἀγαθῷ τὰ θεῖα παιδαγωγῷ, καὶ τὸ λοιπὸν ὑπ' αὐτῷ τὸν παῖδα τελεῖν, ὡς ὑπὸ θείῳ πατρὶ καὶ σωτηρίας ἱερᾶς ἀναδόχῳ. Τοῦτον οὖν ὁ ἱεράρχης σμελεγοῦντα κατὰ τὴν ἱερὰν ἀνάγειν τὸν παῖδα ζωὴν, ἀπαιτεῖ τὰς ἀποταγὰς ὁμολογῆσαι, καὶ τὰς ἱερὰς ὁμολογίας, οὐχ, ὡς ἂν ἐκεῖνοι γελῶντες φαῖεν, ἄλλον ἀντ' ἄλλου τὰ θεῖα μυῶν· οὐδὲ γὰρ τοῦτό φησιν, ὡς ὑπὲρ τοῦ παιδὸς ἐγὼ τὰς ἀποταγὰς, ἢ τὰς ἱερὰς ὁμολογίας ποιοῦμαι· ἀλλ' ὅτι ὁ παῖς ἀποτάσσεται καὶ συντάσσεται· τοῦτ' ἔστιν· Ὁμολογῶ τὸν παῖδα πείσειν εἰς νοῦν ἱερὸν ἰόντα, ταῖς ἐμαῖς ἐνθέοις ἀναγωγαῖς, ἀποτάξασθαι μὲν ἑλικῶς τοῖς ἐναντίοις, ὁμολογῆσαι δὲ καὶ ἐνεργῆσαι τὰς θείας ὁμολογίας. Οὐδὲν οὖν, ὡς εἶμαι, τὸ ἄτοπον, εἰ κατὰ θείαν ὁ παῖς ἀναγωγὴν ἀνάγεται, καθηγεμόνα καὶ ἀνάδοχον ἱερὸν ἔχων, ἕξιν αὐτῷ τῶν θείων ἐμποιοῦντα, καὶ φυλάττοντα τῶν ἐναντίων ἀπείρατον. Μεταδίδωσι δὲ τῷ παιδὶ τῶν ἱερῶν συμβόλων ὁ ἱεράρχης, ὅπως ἐν αὐτοῖς ἀνατραφείη, καὶ μηδὲ σκοίη ζωὴν ἑτέραν, εἰ μὴ τὴν τὰ θεῖα θεωροῦσαν ἀεὶ, καὶ κοινωνὸν αὐτῶν ἐν προκοπαῖς ἱεραῖς γιγνομένην, ἕξιν τε ἱερὰν ἐν τούτοις ἴσκουσαν, ἀναγομένην τε ἱεροπρεπῶς ὑπὸ τοῦ θεοειδοῦς ἀναδόχου.

deiformes praeceptores nostri *ab antiqua traditione acceptum nobis transcripserunt*. Ajunt enim, quod et verum est, infantes si in lege sacra instituantur, ad sanctum animi statum perventuros esse omni errore liberos, et sine ullo impurae vitae periculo. Hoc enim cum in mentem venisset divinis nostris praeceptoribus, placuit admitti pueros hoc sancto modo, ut oblati parvuli parentes naturales filium uni ex fidelibus tradant, qui praeclare in divinis rebus puerum erudiat, sub cujus deinceps cura sit, tamquam sub Patre divino, sanctaeque salutis susceptore. Hunc itaque antistes, sancte promittentem se puerum ad sanctam vitam informaturum, jubet profiteri abrenuntiationes, non enim ut illi subsannatores ajunt, alium pro alio rebus divinis imbuit; neque enim sponsor dicit: Ego pro puero abrenuntiationes facio, sacrasve professiones, sed hoc modo puerum asserit abrenuntiare, ac profiteri, ac si dicat: Profiteor esse huic puero, cum per aetatem intelligere sacra poterit, divinis meis institutionibus persuasurum, ut adversariis nuntium omnino remittat, et divina promissa profiteatur, et exsolvat. Nihil ergo ut opinor, absurdum est, si ad divinum institutum puer adducitur, cum ducem, ac sponsorem habeat, qui eum et divinarum rerum scientia imbuat, et ab adversariis tutum custodiat. Porro Pontifex puerum consortem facit sacrorum mysteriorum, ut in eis educetur, neque agat vitam aliam, quam eam, quae divina semper spectet, et hujusmodi sancta comunione proficiat, atque in his sacrum habitum possideat, et a susceptore deformi studiose promoveatur ».

78. Post has adeo expressas testificationes disciplinae quam tuemur ubique locorum receptae, ne le-

ctorem diutius fatigemus, indicare contenti erimus Epistolam Trojani Santonensis Episcopi (1) ad Episcopum Namnetensem, (fortasse Eumerium): Homiliam V. de Paschate S. Caesarii Arelatensis (2): Eugyppium Abbatem in thesauro c. 297 (3) Aurelium Cassiodorum (4) in Psalm. L. v. 2 et 6 et in Ps. CXLII v. 2. S. Gregorium Turonensem (5) Hist. Franc. lib. VIII n. 9. Miracul. de Gloria Martyrum lib. I. c. 24 S. Gregentium Tapharensem Episcopum, (6) in Homerit. Legibus, et in Disputat. cum Herbano Judaeo: Pratum Spirituale Joan. Moschi c. 165 (7) Hesychium, seu Isychium Jerosolimitanum (8) Anastasium Synaitam (9) Olympiodorum Diaconum, vel quisquis sit auctor Catenae in Jobum, (10) Joannem Maxentium Monachum Scytham, (11) ac ne desit suffragium ex aula saeculari, Justinianum Imperatorem in *Authent.* Collect. X Constit. 144 de Samaritanis § Perpulchrum

(1) « De puero quem an baptizatus esset, nesciebat » script. an. 540.
(2) Episcopatum iniit an. 503.
(3) Claruit sub Anastasio Imperatore secundum Honorium Presbyterum, vel secundum. Sigebertum temporibus Tiberii Constantini Imp. et Pelagii II. R. P. Vide Trithemium de Scriptoribus Eccl.
(4) Obiit circ. an. 575.
(5) An. 598.
(6) Diem obiit an. 552. Justiniani Imp. 26.
(7) Script. exeunte 6 saeculo.
(8) Lib. 2 in Levit. c. 6.
(9) Lib. 6. Hexaemeron.
(10) In Cap. XIX.
(11) In Professione fidei.

## CAPUT III.

*Monumenta liturgica utriusque Ecclesiae, orientalis, et occidentalis aliaque ex Sacra Archaeologia deprompta ostendunt morem baptizandi parvulos ubique ac sine distinctione penes primitivos fideles obtinuisse.*

Sacramentarium Gelasianum – Gregorianum – Missale Mozarabicum – Codices Mss. Latini – Codex Vaticanus Arabicus – Rituale Armenorum – Ordo Cophtorum, et Aetiopum – Chaldaeorum – Hierosolymitanus – Epitaphia puerorum, puellarumque – Carmina ad fontes baptismales – Conclusio.

79. Jam si quoties de aliquo religionis, ac fidei capite quaestio instituitur, efficacissima ad eam dijudicandam ratio ex rebus liturgicis peti solet, nemo iâ meliori jure, neque opportunius fecerit quam nos, qui de re in facto Ecclesiae, et intra liturgiae fines necessario sita disceptamus. Omnes enim pervetusti rituales libri referentes instituta ac traditiones Christi, et Apostolorum, et constanti usu utriusque Ecclesiae consecrati, omnes loquuntur de Baptismo infantium, ac ritus illius perficiendi describunt. In Sacramentario Gelasiano n. XXVI. praecipitur, ut tertia Dominica quae pro scrutiniis electorum celebratur « *recitentur nomina virorum, et mulierum, qui ipsos infantes* ( in baptismo) *suscepturi sunt* » In Sacramentario Gregoriano « Sabbato Sancto » legimus « *Tunc baptizantur infantes, primum masculi, deinde foeminae*, et tenente eo infantem, a quo suscipiendus est, Pontifex interrogat:.... *Et cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos:* qui etiam *non prohibentur lactari* ante Sacram Comunionem si necesse fuerit ». In Missali Mozarabico, seu mixto secundum regulam B. Isidori, monetur Sacerdos, ut peracta Benedictione fontis « *Baptizentur infantes* si ibi sunt. « His conformes reperiuntur omnes Codices Manuscripti a Viris praestantissimis Ludovico

Muratorio, et Edmundo Martenio e latebris Bibliothecarum in apertam lucem productis. Codex Ecclesiae Mutinensis praecipit « Sabato Sancto, peracta benedictione fontis . . . . *Accipe infantem* quem vis baptizare, et interroga eum, *Patrino tenente ipsum infantem in manibus* » Pariter Codex Sacramentarius Gellonensis Monasterii « Et *acceptis infantibus* de parentibus baptizant eos . . . . levantes autem *ipsos infantes in manibus suis* afferunt eos uni presbytero . . . . Et sint patrini qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum . . . Post hoc ingrediuntur ad Missas, et comunicant omnes; illud autem providentes, ut postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, *nec ablactentur,* anteaquam comunicent Sacramenta Corporis Christi. » Consona quoad substantiam leges in Mss. Cod. S. Remigii Rhemensis, in Pontificali Ecclesiae Pictaviensis, in Sacramentario Monasterii Moisacensis, in Colbertino Codice olim Monasterii S. Germani a Pratis, et in alio Parhenonis B. M. Calensis in dioecesi Parisiensi, qui omnes a 900, vel 800 annis exarati perhibentur.

80. Nec a Latinis discrepant Codices Orientales. In Ordine Graecorum Codic. Falassae jubetur Sacerdos « *puerum* rectum acceptum immergere in aquam, quousque manus ejus aqua operiatur » Codex Vaticanus Arabicus 43 ad usum Graecorum Melchitarum continet officium consignationis *pueri octidui* » cum adjecto Canone Basilio M. tributo « Si *puer* quispiam morti proximus fuerit, et presbyter absens sit, Diaconus illum baptizat « Ex Rituali Ecclesiae Armenorum « jubet (Sacerdos) *exuere infantem . . . deinde deponit parvulum* in fonte » Ordo Baptismi Ecclesiae Alexandrinae Cophtorum, et Aethiopum, cavet « Si *pueri baptizandi*

*sint*, eorum parentes attente perspiciant, si necessitate aliqua . . . laborant. Singulis autem ascendentibus ex aqua etc. » Concinit Ordo S. Basilii servatus in Ecclesia Chaldaeorum Nestoriana, ac Malabarica. « Et elevat eum ( puerum ) de aquis . . . . . traditque eum (Sacerdos) propinquo suo non alteri. Quoniam qui accipit puerum de manibus Sacerdotis ipse est propinquus ejus, vel Patrinus ». Accedit Ordo Ecclesiae Hierosolymitanae. « Dextera ejus ( Sacerdotis ) *super caput pueri* manente , tres sinistra haustus aquae perficit. » Denique in Ordine S. Baptismi, quem Syri profitentur « D. N. J. C. *Apostolis tradidisse , et per eos probatis Doctoribus* (1) » ita mandatur « *Sponsor* dextera manu , manum dexteram baptizandi apprehendens, *dicit pro eo* hanc confessionem tribus vicibus: Consentio tibi Christe Deus, ego N. qui baptizor. »

81. Si autem rem epigraphicam paulisper rimari velimus, occurrent nobis nomina plurimorum infantium, ac puerorum, qui testes sunt exercitae in se revera praxeos in monumentis liturgicis descriptae ac commendatae. Occurrunt nobis Aurelius Pelagianus *recens ab utero*: (2) Dorotheus (3) Paulus (4) et alius quidam infans *paucorum mensium*: (5) Achilla (6) Eylia (7) Innocentius (8)

(1) Extat in Cod. Syriaco Vaticano, 31; etiam Arabice litteris Syriacis, et refertur ab Assemano.

(2) Apud Fabretti p. 549 n. 15.

(3) Boldetti. Osservazioni ec. Pag. 344.

(4) Apud Jo. Bapt. De Rossi Inscript. Christ. Urbis. Romae saec. VII. antiquiores pag. 50 inscript. 67.

(5) Apud eumd. p. 84 inscript. 148.

(6) Muratori in Thesaur. p. 1819.

(7) Fabretti p. 580 n. 79.

(8) Idem p. 95. 218.

unius anni: Julia (1) Respectus (2) Pascasia (3) Auxanentis (4) Bonosus (5) Successa (6) *bimuli* : Quiriaca (7) Innocentius (8) Domitius (9) Restituta (10) *trimuli*: Severus (11) ac Severa (12) Marcianus (13) Zosimetes (14) *quadriennes*: Flora (15) Euplia (16) Dionysius (17) Erogianetes (18) *quinquennales*: Paschasius (19) Clementianetes, (20) Refrigerius (21) Ursa (22) Adeodata (23) Leo (24) *sex annorum*: Leopardus *septem:* (25) aliique multi, vel ejusdem, vel paulo grandiusculae aetatis qui ut inscriptio vel certa signa marmori insculpta produnt, baptizati ex hac vita decesserunt, quin ex aliqua nota dignoscatur, eos urgente mortis periculo, et non potius ex usu recepto , statim ab ortu fuisse regeneratos.

(1) Idem p. 572 n. 54.
(2) Idem p. 553 n. 42.
(3) De Boissieu. Inscript. Antiq. de Lyon p. 550.
(4) Fabretti p. 589 n. 104.
(5) De Rossi p. 60 inscr. 92.
(6) Idem p. 69 inscript. 110.
(7) Fabretti p. 576 n. 162.
(8) Idem p. 571 n. 143.
(9) Idem p. 559 n. 36
(10) De Rossi p. 72 inscript. 117.
(11) Fabr. p. 581 n. 86.
(12) Idem p. 581 n. 84.
(13) De Rossi p. 75 inscr. 125.
(14) Id. p. 76 ins. 126.
(15) Idem p. 60 inscr. 91.
(16) Id. p. 79 ins. 139.
(17) Id. p. 80 inscr. 143.
(18) Id. p. 80 ins. 143.
(19) Fabretti p. 577 n. 70.
(20) Idem p. 557 n. 28.
(21) Martigny Dict. p. 314.
(22) Fabret. p. 586 n. 192.
(23) De Rossi p. 172.
(24) Idem p. 63 inscr. 99.
(25) Fabretti p. 574 n. 61.

82. Quamobrem antiquissimae inscriptiones fontium baptismalium, quae formulis generalibus conceptae tum positivis, ubi omnes invitant ad baptismum, tum negativis, ubi nullum excludunt, ad parvulos etiam certissime referuntur: cujusmodi est inscriptio Ambrosiana ad fontem S. Theclae a Grutero (1) exscripta ab antiquo Codice membranaceo Palatinae Bibliothecae, qui nunc inter Vaticanos numeratur 532.

. . . . . .

Hoc numero decuit sacri baptismatis aulam
Surgere quo *populis* vera salus rediit.

. . . . . .

Hic *quicumque volet* probrosae crimina vitae
Ponere, corda lavent, pectora munda gerant.
Huc veniant alacres: quamvis tenebrosus adire
Audeat, abscedet candidior nivibus.
Huc sancti proferent, *non expers ullus* aquarum
Sanctus: in his regnum est consiliumque Dei,
Gloria justitiae, nam quid divinius isto?
Ut puncto exiguo culpa cadat populi.

Pulcherrimi huc faciunt versiculi, quos S. Paulinus Nolanus Sulpicio Severo misit, et « quasi votivos sacris fontibus titulos destinavit: »

Hic reparandarum generator fons animarum
Vivum divino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc caelo, Spiritus descendit in amnem
Caelestique sacras fonte maritat aquas:
Concipit unda Deum: sanctamque liquoribus almis
Edit ab aeterno semine progeniem.

(1) In lib. Ant. Inscript. ad fin. p. 1166 n. 8.

Mira Dei pietas! Peccator mergitur undis
Mox eàdem (1) emergit justificatus aqua.
Sic homo et occasu, felici functus et ortu
Terrenis moritur, perpetuis oritur.
Culpa perit, sed vita redit; vetus interit Adam
Et novus aeternis nascitur imperiis (2).

Addimus et Carmen de Fontibus S. Laurentii, quod Sarazanius S. Damaso, aliis licet dissentientibus, adscribendum censuit:

Iste salutaris fons, continet inclitus undas
Et solet humanam purificare luem.
Munia sacrati quae sint vis scire secreti?
Dant regnatricem lumina sancta fidem.
Ablue fonte sacro veteris contagia vitae
O nimium felix, vive, renatus aqua.
Hunc fontem *quicumque* petit, terrena relinquit,
Subjicit, et pedibus caeca ministeria (3).

(1) Sic Mss. Cod. Reg. Vat. Vien. cum editis nonnullis: In aliis legitur *idem*.

(2) Ep. olim 12 num. 32 in qua n. 2 expostulans cum Severo, quod in aedibus Baptisterii, suam imaginem cum Beati Martini pingere fecisset. « Recte enim, inquit, in loco refectionis humanae Martinus pingitur, qui caelestis hominis imaginem, perfecta Christi imitatione portavit ..... Noster vero, qui illic locus est, *qui nec infantibus innocentia*, neque viris concurrimus sapientia? (*En refectos divina ablutione infantes, et adultos*). Et ab immaculatis malitia, a perfectis infirmitate distinguimur. » Ergo non solum mysticos, sed veros infantes intelligere par est in alio carmine quod ad Basilicarum picturam subjungit.

Sed vetus atque novum conjungit gratia Christi
Propterea medio fons datus est spatio.
Inde Parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.

Data est Epistola an. 403.

(3) Hujus fontis cujus modo etiam locus ignoratur mentionem injicit Benedictus Presbyter in Vita Damasi, factum enarrans tractationi nostrae

Ac ne longiores simus luculentissime causam nostram conficiunt, et caeteris hujusmodi inscriptionibus lucem affundunt carmina, queis, teste Anastasio Bibliothecario S. Sixtus III. Baptisterium Lateranense decoravit. »

Gens sacranda Polis, hic semine nascitur almo
Quam fecundatis spiritus edit aquis.
Mergere peccator, sacro purgande fluento;
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
*Nulla renascentium est distantia*, quos facit unum
Unus fons, unus spiritus, una fides.
Virgineo foetu genitrix Ecclesia natos
Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Insons esse volens isto mundare lavacro
*Seu patrio premeris crimine, seu proprio.* (1)
Fons hic est vita, et qui totum deluit orbem
Sumens de Christi vulnere principium.
Caelorum regnum sperate hoc fonte renati,
Non recipit felix vita semel genitos.
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum
Terreat; hoc natus flumine sanctus erit.

83. Illa itaque praxis, quae in Patrum scriptis, Actis Martyrum, Decretis Conciliorum, statutis Romanae Se-

opportunum: « Nuper res haec est gesta quam factam vidimus in ejus Ecclesia, in Sacro fonte quem ipse venerandus Damasus construxit. Sabbato Paschalis festivitatis, dum turbae sese imprimerent ad baptismum, *puerulus de manu Sacerdotis elapsus est*, atque in uno fonte demersus, et post spatium fere unius horae, dum sperant omnes jam mortuum, et quidam vir mansionarius ipsius Ecclesiae in fiduciam Sancti Damasi se projiciens in fontem, et abstrahens eum, secum salvum, et illaesum reduxit: quod nos omnes videntes non ambiguimus merita S. Damasi fuisse ».

(1) Haec distinctio inter *proprium*, et *patrium* peccatum manifestam praesefert habitudinem ad infantes, et adultos.

dis, supponitur, asseritur, commendatur, cernitur etiam veluti vivens, ac spirans in monumentis archeologicis atque in libris liturgicis a remotissimis temporibus in usu penes omnes Ecclesias, tum orientales, tum occidentales. Isthaec porro testificatio eo solemnior censenda est, quod non unius, aut alterius Patris seorsim sumpti, sententiam exprimit, sed sensum atque agendi rationem integrarum plebium , cum tota Pastorum serie per varias aetates indesinenter sibi succedentium.

## CAPUT IV.

*De causis dilati apud veteres baptismi perperam assignatis.*

Dilatio Baptismatis apud veteres complures, nequit referri ad conditionem temporum, neque ad aliquam Ecclesiae aeconomiam. – Argumenta Witringae examinantur, ac dissolvuntur.

84 Si autem praxis de qua loquimur nullo non tempore in Ecclesia viguit, neque infirmari potest probatio tanto testium aggere munita, quorsum , quaeret aliquis, primitivi fideles adeo frequenter baptismi tempus protrahere consueverunt?

85 Atqui si exemplis pugnandum foret, in promptu esset alia opponere, et numero majora aliorum exempla in tenerrima vel puerili aetate baptizatorum, (1) quin ullus disputationi pateret exitus.

86 Ergo non exemplis consuetudo inferenda est, sed ad ejus normam exempla revocanda, et judicanda : possunt namque facta, et exempla singulorum esse depravatio consuetudinis, sicut germana illius applicatio.

(1) Vide sup. num. 79.

Licet autem ex dictis jam quisque pervideat, dilationem baptismi utpote consuetudini adversam esse generatim improbandam, nihilominus operae praetium erit in allata exempla paullo accuratius animum advertere, quoniam illis fortasse parta est, ac tota nititur opinio quam refutamus. Atque imprimis expendamus oportet, num recte senserit Vitringa celeberrimi nominis Protestans, quando ad explicanda illa facta particularia ita locutus est *Observationum SS. c.* 6. « Rationes, ob quas dilatus vulgo baptismus est in veteri Ecclesia ad annos adolescentiae, et juventutis peti posse judico *ex constitutione illius temporis*. Quandoquidem enim non raras persecutiones, et afflictiones sustinuit post Apostolorum aevum, per has factum videtur saepenumero, ut occasio baptizandi, et infantes ad baptismum offerendi commoda semper non fuerit. Cum vero nullibi in praeceptis Christi, aut Apostolorum praescriptus esset certus temporis terminus intra quem administrandus sit Baptismus, ut olim circumcisioni, non ita quoque parentes baptismum suorum infantium affectarunt, quia viderunt eum nonnisi cum cura, labore, et sollicitudine administrari posse in tenera illa aetate. Sed et aliud erat, quod illud suasit. Intererat primae Ecclesiae, eos qui suam comunionem profitebantur quovis modo obligare ad constantiam in fide, cum omni die imminerent novae persecutiones. Fieri vero hoc poterat ea ratione, ut, primo nullos reciperet in gremium suum nisi bene eruditos, et de veritate quam profiterentur probe persuasos : dein eos ad constantiam non modo verbis adhortarentur, sed et externis ritibus symbolicis adstringerent. Utrumque multo fiebat efficacius in baptismo, quo viri juvenes, et adolescentes quibus suarum actionum arbitrium, Ecclesiae inseruntur, quam in-

fantes. Etenim qui infantes baptizantur, saepe negliguntur a parentibus, neque cognitione mysteriorum fidei necessaria imbuuntur ; unde nec adultis tanta religionis cura est. Sed et infantes cura parentum suorum baptizati ad adultam profecti aetatem si forte renuncient, crimini suo in hanc praetexere possunt speciem, quod voluntati parentum suorum nequaquam consenserint : esse autem se ad majorem aetatem profectos arbitros religionis, quam sint professi. Neutrum vero obtinet in adultis qui post solemnem fidei suae professionem baptizantur, quod in Ecclesia veteri fiebat. » Haec ille.

87 Jamvero generatim observo, totam hanc ratiuncularum machinam esse a summo ad imum pro arbitrio, ac libito constructam, quam proinde dissolvere non nimis operosum est. Nam post Apostolorum aevum, afflictis Cchristianorum rebus, ac saeviente etiam persecutionis procella, numquam defuisse occasionem percipiendi baptismatis, sedulus sacrarum rerum observator, discere poterat ex Justino, (1) Tertulliano, (2) ac Cypriano. (3) Etsi autem Christus non praefixerit tem-

(1) Apol. I n. 61.

(2) Tert. de Bapt. c. 1.

(3) Cyp. Ep. ad Fidum.

« Il est certain que, dans le principe, il n'y avait d'autres baptisteres, que les rivières et les fontaines, on baptisait partout où l'on trouvait de l'eau. C'est ainsi que, prés de la ville de Philippes, S. Paul baptisa Lydie, marchande de pourpre Act. XVI. 15, et que le diacre Philippe régénéra, dans la première fontaine qui se trouva à sa portée, l'eunuque de la reine Candace Act. VIII v. 38. (Martigny Dict. des Antiq. Chretien. Art. Baptistère I). Ceterum in Catacumbis, in quibus veteres Christiani perfugium quaerebant a furore gentilium plura reperta sunt baptisteria; Vid. Bottari tav. 44. Arringhi I. 381. Boldetti Cimit. 40. Et quoniam de catacumbis mentionem injecimus obiter adnoto, primitus solum cryptam coemeterii S. Callixti, ubi juxta veterem traditionem Corpora SS. App. Petri, et Pauli condita fuerant *catacumbas* fuisse appellatam, deinde vero

pus ad Baptismi receptionem ut olim circumcisioni praeceptum erat, tamen ex analogia inter circumcisionem, et baptismum, et ex eo quod iste illi successerit, inspecta praesertim potiori istius prae priori necessitate, (1) Ecclesia ab Apostolis erudita de tingendis infantibus non minus fuit sollicita, quam Synagoga fuerit de suorum circumcisione.

88 Quaenam porro cura, qui labor, potuerit obstare christianis parentibus, ne cito natorum saluti per baptisma consulerent, id ut candide fatear plane non video : neque hujus rei mentio aliqua in christianis monumentis occurrit. Quid enimvero est Baptismus? *Lavacrum aquae in verbo* ( Aug. Tract. XV. in Jo. n. 4. ) Simplicibus adeo elementis institutus est a Christo propter summam ejus necessitatem ; ut hac urgente, ubivis a quolibet posset administrari. Ad solemniorem vero ritus celebrationem, Ecclesia jam a suis primordiis stata tempora habebat, extra quae tamen fas erat pueros abluen-

hoc nomen extensive attributum esse innumeris illis cryptis, et coemeteriis, quae Christianam Necropolim constituunt. Vide Martigny Art. Catacombes 1.

(1) « Sacramentum circumcisionis, inquit Aug. lib. VI cont. Jul. c. 7 n. 18 in figura praecessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris litteris eruditus ignoret, cum apertissime de Christo dicat Apostolus . .. in quo circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo et consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis, et vos cum essetis mortui in delictis, et praeputio carnis vestrae vivificavit cum illo donans vobis omnia delicta? Coloss. 2. 111 ». Circumcisionem fuisse typum baptismi praenuntium solemne est, ac palmare penes Patres sive ante sive post Augustinum, quos videsis apud Berti de Theol. disc. lib. XXX. c. 3. Hinc celebris illa Innocentii III sententia in cap. Major de Bapt. et ejus effectu « *Baptisma circumcisioni successit: cum ergo circumcisio tam adultis, quam parvulis ex praecepto Domini conferretur, ne baptismus qui successit loco ipsius, et generalior tamen existit .... minoris videatur effectus, tam adultis quam parvulis est conferendus* ».

dos offerre. (1) Sacrorum quoque Ministrorum semper erat copia qui etsi calamitosis illis temporibus fugere interdum, et sese abdere cogebantur, at ne Christi oves sibi creditas omnino relinquerent, ultro se, qui non essent sui muneris obliti, persecutorum gladiis sistebant.

89 Neque majoris ponderis est illa ratio, quae ducitur ex obligatione permanendi in fide. Primo enim provocamus adversarios, ut afferant aliquam sive universalem, sive particularem legem de pueris a baptismo arcendis, ne saeviente persecutione deficerent a fide ipsis insciis imposita. At e contra praxis baptizandi parvulos fidem faciunt plurima, ac luculentissima documenta : ergo si decurrente persecutionum aevo suppetant exempla baptismatis ad virilitatem, vel senium producta, ea, nisi aliqua probabilis ratio excuset, non aliter habenda sunt, quam actus, Ecclesiae moribus adversantes, atque idcirco reprehensioni obnoxii.

90 Deinde quaerimus ab adversario, num licitum esset christianis parentibus tolerantismum in prolis educatione

(1) Selecti splendidiores quidam dies, tum ob honorem Sacramenti, tum ob mysteriorum necessitudinem, et congruentiae rationes quas perstringit Tertullianus de Bapt. c. XIX, tum ut spatia interjecta rite probandis, ac disponendis adultis deservirent. « Caeterum subdit Tertull. ibid. *omnis dies* Domini est, *omnis hora, omne tempus* habile baptismo: si de solemnitate interest de gratia nihil refert ». Et Basilius Hom. 13 n. 1 in S. Bapt. « Itaque *tempus omne ad salutem per baptismum adipiscendam opportunum est* sive noctem dicas, sive diem etc. » « Ubi prompta voluntas est, addit Nyssenus, *quod impediat nihil est* » Or. in eos qui differunt Bapt. denique ne longior sim, Augustinus Serm. 6 in Quadr. « Movere deberet, inquit, si baptizare, et baptizari nisi in die Paschae solemnissimo non liceret. *At cum per totum annum, sicut unicuique vel necessitas fuit, vel voluntas, non prohibeatur a baptismate... Hoc enim omni die licet accipere.* » Hinc Innocentius I. in Epist. ad Victricium Rothomagensem Episc. c. 9. Sacerdotibus, et Levitis, ideo ab uxoribus abstinendum esse asserit, quia « *nec praetereat dies*, qua vel a Sacrificiis divinis, *vel a Baptismatis officio vacent* ».

profiteri : an potius tenerentur eam in principiis, ac praeceptis illius Religionis instituere, quam ipsi unice divinam novissent, ac necessariam ad salutem ? Si hoc alterum, quod oportet, concedilur, quid commodi vel utilitatis ex dilatione baptismatis capi poterat? Nonne satius erat, parvulos in primo vitae limine renatos, apto tempore salutaris fidei documentis partim domestico parentum, vel susceptorum, partim publico Ecclesiae magisterio imbuere ? Ita quippe et a servitute diaboli, et ab aeternae mortis incursu mature eripiebantur, et eo minus verendum erat, ne jugum christianae fidei poenarum metu refugerent, quod ei ferendo a teneris assueverant. Praeterea quaevis persecutio sicut innumeros ubique martyres coronavit, ita plures e fide sua dejecit : ergo vel disciplina quam Vitringa primitivae Ecclesiae affingit numquam reapse fuit in usu, vel dicenda est inutilis ad finem ob quem fuisset inducta : hoc autem quis sibi persuaserit, conditam ab Ecclesia disciplinam omni profectu vacuam, cum magna animarum pernicie ? Nullum igitur ex argumentis, quos Vitringa marte suo procudit convincere potest, viguisse aliquando in Ecclesia disciplinam, cui obsecuti fuerint, qui baptismum ad seram distulerunt aetatem : cum vero aliunde ex indubitatis monumentis probaverimus, Ecclesiam quovis tempore parvulos, et adultos aequa manu tinxisse, jure nostro inferimus, exempla dilati baptismatis, quae passim in veteri historia occurrunt, non aliter habenda quam abusus privatorum. (1)

(1) Tot rationes ad arbitrium coacervavit doctus Protestans, et eam praeteriit, quae videtur aliquid ponderis, et probabilitatis speciem habere videlicet non fuisse pueros ad baptismum admissos ob arcani disciplinam, quam ex animi levitate, et inconstantia prodere potuissent. Nemo ex

## CAPUT QUINTUM

### *De causis dilati baptismi apud veteres, historice investigatis*

Dilatio baptismi aevo persecutionum fere ignota, a quarto saeculo potissimum frequentari coepta. – Motiva dilationis historice exponuntur – Ea passim a Patribus reprehensa, et improbata – Relaxatae hac in re veteris disciplinae origo iuvestigatur.

91 Cujus conclusionis, et judicii aequitas, multo fiet luculentior, si consideremus tempus, quo creberrima dilati baptismi exempla in oculos incurrunt : et causas quibus illa niterentur historice investigemus : qua tandem ratione Patres erga illa exempla se gesserint, quove animo illas causas exceperint. Nam toto eo temporis intervallo, quo Ecclesia a gentilibus bellum passa est, vix aut nullatenus suppetit exemplum dilati baptismatis, quod quidem ad fidelium filios referatur : sed insequentia saecula, quartum potissimum, et quintum hujusmodi exemplis passim abundant. Revera quorum elenchum tanta diligentia texuerunt anabaptistae, ut suaderent penes primitivos christianos nonnisi adultos baptizatos fuisse, hi omnes tertio saeculo sunt procul dubio recentiores. Nam durante persecutionis periodo, loco similium exemplorum,

Patribus hanc dilationis causam notavit; quod silentium, satis indicat arcani disciplinam minime obstitisse praxi baptizandi parvulos, cujus existentia aliunde ex aliis documentis positive demonstratur. Cur autem non obsteterit, facile liquet consideranti occulta religionis non fuisse parvulis indiscrete, ac sine delectu commissa, sed ingeniosis, et bene moratis, certamque secreti fiduciam praebentibus: ceteri cum cathecumenis dimittebantur, donec aetas judicii gravitatem afferret, quam illa disciplina poscebat: quemadmodum non obscure indicat Niss. Orat. in eos qui differunt Baptisma « Me tui pudet, quod cum consenueris adhuc ejiciaris cum cathecumenis *tamquam insipiens* puellus, et qui arcana non potest celare cum dicendum sit mysterium ».

habemus quamplura documenta, et undique accersita, et haud obscura, quibus adstruitur praxis baptizandi parvulos, ut simpliciter ac mordicus retinenda prae quorumdam placitis aliquam dilationem optantium : et adstruitur ut ab Apostolis profecta, et ab ipso Domino consecrata. Nimirum dum in periculum vocata fides, et divexata christianorum pietas illam videbantur ab Ecclesia exposcere sapientem aeconomiam, quam adversarii obtendunt, ejus ne vestigium quidem occurrit : sed potius prae documentorum inopia, et obscuritate illius aetatis, satis evoluta contraria consuetudo nobis exhibetur : ex adverso reddita Ecclesiae pace, cum jam paedobaptismus ubique frequentari sine contradictione debuisset, tunc dilata cernimus ad adultam aetatem baptismata, et ad extremum usque spiritum rejecta. Tunc parhaeneticae ad Baptismum, et saepe acres orationes Patrum, quas nullibi tales reperias in Apostolicorum virorum scriptis, vel eorum qui usque ad Constantinum Ecclesiam illustrarunt. Nam quod libro 6. Recognitionum legatur exhortatio ad celerem baptismi susceptionem, et tacita quaedam proocrastinantium reprehensio, satis aperte proditur intentio repellendi Tertulliani consilium, et ab eo amplectando populos avocandi. Ergo verum non est, primis Ecclesiae temporibus sapienter consultum fuisse ut adulti potissimum abluerentur, saequiori vero aetate pueri etiam extra vitae periculum constituti. Recte proinde sapientissimus nostrorum temporum Theologus Jo. Perrone ad observationem quorumdam eruditorum dictitantium primis saeculis néminem accepisse Baptismum qui non fuisset in fide instructus, et non potuisset testari se credere articulos fidei respondet, id observari contra omnem veritatem : quam responsionem

deinde illustrans. « Ex iis enim, inquit, quae superius protulimus documentis contrarium omnino constat. Alioquin nec de infantium baptismo conquestus esset Tertullianus, neque ex universali praxi infantes baptizandi collegissent Patres, doctrinam de peccato originali : neque Pelagiani jure infantes baptizari concessissent saltem ad Regnum Dei consequendum, nec de susceptoribus infantium tot, tantaque extarent in veterum Patrum scriptis, et in antiquis liturgiis, nec de infantibus baptizatis referta esset veterum temporum historia non minus quam recentiorum. Hos auctores decepit multorum abusus V. praesertim saeculo protrahendi baptismum usque ad adultam, aut seram aetatem, quandoque etiam ad extremam usque vitae periodum... Quem quidem abusum aegre semper tulit Ecclesia, ac Patres passim in eum insurrexerunt. (1) »

92 Revera contra differentes Baptismum gravissimae recitatae sunt a summis Patribus Basilio, Chrysostomo, Nazianzeno et Nysseno orationes, in quibus causae ab ipsis adductae omnes exponuntur, ac partim uti futiles praetextus, partim uti perniciosa, et indigna sophismata redarguuntur, et exsufflantur. Rationes ad abusum cohonestandum a diversis adinventae erant potissimum 1. Novatiana explicatio illius Apostoli ad Hebr. c. 6. v. 4. loci « Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, et ceciderunt rursus renovari ad poenitentiam : » 2. praesumptio indispositionis in eo qui inordinatos motus, et saevientem membrorum legem experiretur: 3. difficultas subeundi jugum Evangelii ex desiderio laxandi habenas pravis cupiditatibus, queis vel florente aetate nuncium remittere debent baptizati: 4. desiderium imitandi Christum qui adulta aetate baptismum suscepit: 5. concepta

(1) Tract. de Baptismo Cap. IV Prop. 1.

ex inolita consuetudine persuasio percipiendi in fine vitae per baptismum amplissimam omnium criminum, et poenae remissionem: 6. studium captandi quasdam locorum, temporum, ac personarum circumstantias, quo jucundior, ac splendidior baptismi fieret acceptio. Hisce autem rationibus locus esse potuit tum ex relaxata disciplina, ob Episcoporum exilium, et turbatam Ecclesiarum pacem: tum ex defectu legis universalis positivae urgentis praeceptum divinum, quia nempe naturae suae illud se commendat, et verendum non erat ne homines illius impletionem negligerent, quin essent penitus propriae salutis obliti.

93. Jamvero nulla est ex enumeratis rationibus, quae in semet spectata, praecisione facta ab intentione agendi Patrum non incurrat reprehensionem: tantum abest, ut cum sapienti Ecclesiae aeconomia amice consistat. Id videre est praecipue in admirabili illa oratione de Baptismo Constantinopoli habita die 7. Januarj a S. Gregorio Nazianzeno, qui singulos adductos praetextus, enumerat, et refutat; ac primum quidem n. XVI. exponit, ac diluit: « (*) At metuis ne gratiam corrumpas, ac

(*) Ἀλλὰ φοβῇ, μὴ διαφθείρῃς τὸ χάρισμα, καὶ διὰ τοῦτο ἀναβάλλῃ τὴν κάθαρσιν, ὡς δευτέραν οὐκ ἔχων; Τί δαί; Οὐ φοβῇ, μὴ διώκτῃ καιρῷ κινδυνεύσῃς, καὶ τὸ μέγιστον ὧν ἔχεις, ἀφαιρεθῇς Χριστόν; Ἀρ οὖν διὰ τοῦτο φεύξῃ καὶ τὸ γενέσθαι χριστιανός; Ἄπαγε! Οὐχ ὑγιαίνοντος ὁ φόβος, παραφρονοῦντος ὁ λογισμός. Ὦ τῆς ἀνευλαβοῦς εὐλαβείας, εἰ δεῖ τοῦτο εἰπεῖν! ὦ τῶν τοῦ πονηροῦ σοφισμάτων! Οὕτως σκότος ἐστὶ, καὶ φῶς ὑποκρίνεται. Ὅταν μηδὲν ὑσκύσῃ φανερῶς πολεμῶν, ἀφανῶς ἐπιβουλεύει. Καὶ γίνεται σύμβουλος ὡς χρηστὸς, ὢν πονηρός· ἵν ἑνί γε τῷ τρόπῳ πάντως ἰσχύσῃ, καὶ μηδαμόθεν αὐτοῦ τὴν ἐπιβουλὴν διαφύγωμεν . . . . . Σὺ δὲ ὦ ἄνθρωπε τοῦ Θεοῦ, γνῶθι τὴν ἐπιβουλὴν τοῦ ἀντικειμένου . . .

proinde purgationi moram producis, utpote nullam alteram jam ultra habens? Quid autem? Non vereris ne persecutionis tempore in periculum adducaris, ac Christo possessione omnium quas habes praestantissima spolieris? Num igitur ob hanc causam a suscipiendo christianismo refugies? Absit : non est sani hominis hic metus : desipientis est haec cogitatio. O incautam ut ita loquar cautionem! o ingentes pravi illius versutias! Vere ille caligo est, et lucem ementitur. Cum aperto marte nihil proficit, insidias obscure tendit : et cum pravus sit, quasi humanus, ac bene affectus consilium dat, ut alterutro certe modo, superior omnino discedat... Tu autem, o homo Dei, fac adversarii insidias cognitas habeas... Ne hostem in consilium adhibeas, ne fidelis fieri, ac nominari parvipendas. Quamdiu in cathecumenorum numero es, in pietatis vestibulo versaris. Intrare te oportet, atrium pertransire, sancta contueri, in Sancta Sanctorum prospicere, cum Trinitate conjungi. Magna sunt ob quae oppugnaris, magno quoque praesidio opus habes : quocirca fidei clypeum adversus eum objice. Timet te cum armis dimicantem, ac propterea te charismate spoliat, ut inermem, et incautum facilius opprimat. »

Μὴ λάβῃς σύμβουλον τὸν ἐχθρόν· μη καταφρονήσης τοῦ ἀκοῦσαι καὶ γενέσται πιστός. Ἕως εἶ κατηχούμενος, ἐν προθύρεις εἶ τῆς εὐσεβείας. Εἴσω γενέσθαι σε δεῖ, τὴν αὐλὴν διαβῆναι, τὰ ἅγια κατοπτεῦσαι, εἰς τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων παρακύψαι, μετὰ τῆς Τριάδος γενέσθαι. Μεγάλα ἐστὶν ὑπὲρ ὧν πολεμῇ· μεγάλης δεῖ σοι καὶ τῆς ἀσφαλείας. Προβαλοῦ τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως. Φοβεῖταί σε μετὰ τοῦ ὅπλου μαχόμενον· καὶ διὰ τοῦτο γυμνοῖ σε τοῦ χαρίσματος, ἵνα κρατήσῃ ῥᾴδν σου ἄοπλου καὶ ἀφυλάκτου Πάσης ἡλικίας ἅπτεται, πάσης ἰδέας βίου. Διὰ πάντων ἀποκρυσθήτω.

94 Alteram quoque rationem sic explodit Nazianzenus n. XVII « (*) Juvenis es? Contra pravos affectus in acie cum subsidio sta: in Dei phalange nomen profitere; adversus Goliath strenue pugna: mille, vel decies totidem hostes cape, ac tibi subjice: ita flore tuae aetatis fruere, nec tuam juventutem marcescere sustine, imperfecta fide mortuam, et extinctam « et Basilius or. in S. Baptismum n. 5. (**) Juvenis es? retinere juventutem baptismatis fraeno « et n. 4 (***) « Si multa sunt peccata tua ne desperes ob multitudinem. Ubi enim abundavit delictum superabundavit gratia.... Quid apud te vincat? voluptas carnis, an animae sanctimonia? praesentium oblectatio, an futurorum desiderium? Angeline te suscipient, an detinebunt qui jam tenent?... Thesaurus non obsignatus, diripi a furibus facile potest: ovi signo carenti tuto struuntur insidiae. »

95 Ast in eos, qui ut voluptates explerent a Baptismi fonte aberant, acerbiora etiam Patres intorquent. Ita

(*) Νέος εἶ; Στῆθι κατὰ τῶν παθῶν μετὰ τῆς συμμαχίας, εἰς Θεοῦ παράταξιν ἀριθμήθητι, ἀρίστευσον κατὰ τοῦ γολιὰθ, λάβε τὰς χιλιάδας, ἢ τὰς μυριάδας. Οὕτω τῆς ἡλικίας ἀπόλαυσον· ἀλλὰ μὴ ἀνάσχῃ μαρανθῆναί σου τὴν νεότητα, τῷ ἀτελεῖ τῆς πίστεως νεκρωθεῖσαν.

(**) Νέος εἶ; ἀσφάλισαι τὴν νεότητα τῷ τοῦ Βαπτίσματος χαλινῷ.

(***) Εἰ μὲν πολλά σού ἐστε τὰ ἁμαρτήματα, μὴ ἀθυμήσῃς τῷ πλήθει. Ὅπου γὰρ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις, . . . Τί παρὰ σοὶ νικήσει; ἡδονὴ σαρκὸς, ἢ ἁγιασμὸς ψυχῆς; ἀπόλαυσις τῶν παρόντων ἢ τῶν μελλόντων ἐπιθυμία; Ἄγγελοί σε παραλήψονται, ἢ καθέξουσιν οἱ κατέχοντες; . . . . Ἀσφράγιστος θησαυρὸς εὐεπιχείρητος κλέπταις· πρόβατον ἀσημείωτον ἀκινδύνως ἐπιβουλεύεται.

siquidem Nazianzenus N. XX. « (*) Verum dicet quispiam, quid mihi ex ea re accesserit, si per baptismum praeoccupatus fuero, atque omnes vitae suavitates mihi ipsi ob hujuscemodi celeritatem praeclusero, cum voluptatibus interim indulgere liceat, atque ita demum gratiam assequi?.... Negotio me liberasti, quisquis tandem es, qui talia profers, dum procrastinationis istius arcanum aegre tandem extulisti: et quamvis consilii tui perversitatem improbem, eo tamen nomine te laudo, quod eam aperte confessus es. « Et Basilius N. 5. « (**) Novi

(*) Ἀλλὰ τί μοι πλέον, φησὶ, προκατασχεθέντι διὰ τοῦ Βαπτίσματος, καὶ τὸ τερπνὸν τοῦ ζῆν ἐμαυτῷ διὰ τοῦ τάχους ἀποκλείσαντι, ἐνὸν ἐφεῖναι ταῖς ἡδοναῖς, καὶ τηνικαῦτα τυχεῖν τῆς χάριτος; . . . Ἀπήλλαξας ἡμᾶς πραγμάτων, ὅστις ποτὲ εἶ, ὁ ταῦτα λέγων, μόγις τῆς ἀναβολῆς ἐξειπὼν τὸ ἀπόῤῥητον· καὶ σε τῆς κακουργίας οὐκ ἐπαινῶν, ἐπαινῶ τῆς ἐξαγορεύσεως.

(**) Νοῶ γάρ σου τὴν ὑπέρθεσιν, κἂν περιστέλλῃ τοῖς ῥήμασιν· αὐτὰ βοᾷ τὰ πράγματα, κἂν τῇ φωνῇ σιωπᾷς. Ἔασον, ἀποχρήσωμαι τῇ σαρκὶ πρὸς τὴν ἀπόλαυσιν τῶν αἰσχρῶν, ἐγκυλισθῶ τῷ βορβόρῳ τῶν ἡδονῶν, ἀμάξω τὰς χεῖρας, ἀφέλωμαι τὸ ἀλλότρια, δολίως πορευθῶ, ἐπορκήσω, ψεύσωμαι· καὶ τότε τὸ Βάπτισμα, ὅταν λήξω ποτὲ τῶν κακῶν, ὑποδέξομαι. Εἰ μὲν οὖν καλὸν ἡ ἁμαρτία, φύλασσε ταύτην εἰς τέλος· εἰ δὲ βλαβερὰ τῷ τοιοῦνι, τί ἐπιμένεις τύς ὀλεθρίοις; Οὐδεὶς, χολὴν ἐμέσαι ζητῶν, ἐκ πονηρᾶς καὶ ἀκολάστου διαίτης πολυπλασίονα ταύτην ἑαυτῷ συναθροίζει . . . Φαίνεται ἡ ναῦς μέχρι τίνος τὸ βάρος τῶν ἀγωγίμων ὑφίβταται, τὸ δὲ ὑπὲρ τοῦτο καταβαπτίζει. Φοβήθητι μὴ καὶ σὺ τὰ παραπλήσια πάθοις etc: Οὐ βλέπει Θεὸς τὰ γινόμενα; ἢ οὐ νοεῖ σου τὰ ἐνθυμήματα; ἢ συνεργάζεται σοι τὰς ἀνομίας; . . . . . Μὴ ἐμπορεύου τὴν χάριν . . . . Ὅτε δυνατὸς εἶ ἐν ἔργοις, τὴν νεότητά σου ταῖς ἁμαρτίαις προσαναλίσκεις. Ὅτε ἀποκάμῃ τὰ ὄργανα, τότε προσάγεις αὐτὰ τῷ Θεῷ, ὅτε, εἰς οὐδὲν αὐτοῖς ἔστι χρήσασθαι, ἀλλ' ἀνάγκη κεῖσθαι διὰ τὸν ἐκ τοῦ χρόνου μαρασμὸν παραλυθέντος τοῦ τόνου. Ἡ ἐν γήρᾳ σωφροσύνη οὐ σωφροσύνη, ἀλλ' ἀκολασίας ἀδυναμία. Νεκρὸς

enim procrastinationem tuam, quamquam eam verbis contegis.... Sine utar corpore ad fruendas turpes libidines: voluter in coeno voluptatum: cruentem manus, diripiam aliena, dolose ambulem, pejerem mentiar: et tum cum tandem aliquando a malis destitero, suscipiam baptisma. Quod si peccatum bonum est, illud ad finem usque serva: sin noxium est patranti, quid in exitiosis immoraris? Nemo bilem evomere cum vult, mala intemperantique diaeta eam sibi multo abundantiorem congerit... Extat navis interim, dum impositarum mercium onus sustentat, si quid ultra accesserit, mergit. Time ne tibi etiam paria accidant... Non videt Deus quae fiunt? non agnoscit tuas cogitationes? an iniquitates tuas juvat?... Cave abutaris gratia ad quaestum... Cum idoneus es qui opereris absumis in peccatis juventutem tuam. Postquam languerunt organa tum ea Deo offers, cum non amplius potes his ad ullam rem uti, sed ea, necesse est torpere ob diutinam tabem vigore, et robore resoluto. Continentia in senectute, continentia non est... Mortuus non coronatur... Peccare si desieris ob aetatem, beneficium est infirmitatis. Laudamus autem eos, qui animi proposito boni sunt, non eos, qui necessitate aliqua a bono arcentur. Caeterum quis tibi vitae limitem praefixit? An non vides infantes abreptos? etc. »

96 Quartum ad celerem baptismi receptionem obicem ita disjicit Nazianzenus N. 29. « At dices: Chri-

οὐ στεφανοῦται . . . . Ἐὰν δι' ἡλικίαν παύσῃ τῆς ἁμαρτιας, τῆς ἀσθενείας ἡ χάρις. Ἐπαινοῦμεν δὲ τοὺς κατὰ προαίρεσιν ἀγαθοὺς, οὐ τοὺς ἀπό τινος ἀνάγκης ἐζυργομένους Τίς δέ σοι καὶ τὸν ὅρον τῆς ζωῆς ἔπειζε ; . . . . Οὐχ ὁρᾷς νήπια ἁρπαζόμενα, τοὺς ἐν ἡλικίᾳ ἀπαγομένους ; etc.

stus 30 anno baptizatur, idque cum Deus esset : tu vero me baptismum urgere jubes? Cum Deum dixisti, quaestio abs te soluta est. Nam ille purgatio ipsamet erat, nec purgationis indigebat : verum tua causa purgabatur.... nec vero quicquam periculi metuendum erat baptismum proroganti. Tibi vero non leve periculum imminet, si hinc corruptioni soli genitus, nec incorruptibilitate indutus, excesseris. (*) »

97 Contra eos, qui usque ad mortem baptismum prorogabant, ita S. Doctor energice invehitur. « (**) Baptizemur hodie, ne cras vi aliqua cogamur. Ne beneficium tamquam injuriam differamus : nec expectemus, ut plura peccata congeramus, quo plura nobis condonentur : nec Christo cauponum, ac negotiatorum ritu abutamur : nec graviori sarcina oneremur, quam vires nostrae ferre queant, ne simul cum ipsa navi demergamur, ac gratiam naufragio amittamus, sicque dum plura spe, atque

(*) Ἀλλὰ Χριστὸς, φησὶ, τριακονταέτης Βαπτιζεται, καὶ ταῦτα Θεὸς ὤν· καὶ σὺ κελεύεις ἐπισπεύδειν τὸ Βάπτισμα; Θεὸν εἰπὼν, λέλυκας τὸ ζητούμενον. Ὁ μὲν γὰρ αὐτοκάθαρσιν ἦν, καὶ οὐκ ἐδεῖτο καθάρσεως· ἀλλὰ σοὶ καθαίρεται . . . . Οὐδέ τις κίνδυνος ἦν αὐτῷ τὸ Βάπτισμα παρατείνοντι . . . . Σοὶ δὲ, οὐδὲ περὶ μικρῶν ὁ κίνδυνος, εἰ ἀπέλθοις τῇ φθορᾷ γεννηθεὶς μόνῃ, καὶ μὴ τὴν ἀφθαρσίαν ἀμφιέσάμενος. Num. 29.

(**) Βαπτισθῶμεν σήμερον, ἵνα μὴ αὔριον βιασθῶμεν. Καὶ μὴ ἀναβαλώμετα τὴν εὐεργεσίαν, ὡς ἀδικίαν. μηδὲ ἀναμείνωμεν πλεῖον γενέσθαι κακοὶ, ἵνα πλεῖον συγχωρηθῶμεν· μηδὲ γενώμεθα Χριστοκάπηλοι καὶ Χριστέμποροι· μηδὲ φορτισθῶμεν πλέον ἢ δυνάμεθα φέρειν, ἵνα μὴ αὐτάνδρῳ τῇ νηὶ Βαπτισθῶμεν, καὶ τὸ κάρισμα ναυαγήσωμεν, ἀνθ' ὧν τὸ πλεῖον ἠλπίσαμεν, τὸ πᾶν ἀπολέσαντες. Ἕως ἔτι τῶν λογισμῶν κύριος ει πρόσθραμε τῷ θωρήματι· ἕως εὖπω νοσεῖς καὶ τὸ σωμα καὶ τὴν διάνοιαν, ἢ δοκεῖς οὕτω τοῖς παροῦσι, κἂν σωφρονῇς· ἕως οὐκ ἐπ' ἄλλοις κεῖται τὸ σὸν ἀγαθὸν ἀλλ' αὐτὸς

animo concipimus, omnia perdamus. Ad donum accurre, quamdiu mentis adhuc compos es : quamdiu nondum es, et corpore et animo aeger... quamdiu bonum tuum non in aliis situm est, verum in tua ipsius potestate : quamdiu lingua non titubat, nec frigore confecta est.... quamdiu fidelis effici potes non hominum opinione, et conjectura, sed argumento certo, et explorato.... quamdiu perspicuum tibi donum est, non autem obscurum, et dubium, ac gratia intimos animae sinus attingit, non autem corpus funebri aqua abluitur : quamdiu non circum te lacrymae discessus indices, ac fortasse etiam ipsae in tui gratiam compressae, atque uxor, et liberi discessum retrahentes, et extrema verba requirentes: quamdiu lateri tuo non haeret imperitus, horas tibi largiens quarum potestas penes eum non est, capitisque nutu salutem velut ad lancem expendens, ac de morbo post mortem disputans, aut recessibus suis mercedem augens, aut deploratum morbum esse significans : quamdiu inter eum qui baptizandi munere fungitur, et quae-

εἰ τούτου κύριος· ἕως οὐ παράφορος ἡ γλῶσσα, οὐδὲ κατεψυγμένη, οὐδὲ ζημιοῦσθαι, ἵνα μὴ πλεῖόν τε λέγω, τὰ τῶς μυσταγωγίας ῥήματα· ἕως δύνασαι γενέσθαι πιστὸς, οὐκ εἰκαζόμενος, ἀλλ' ὁμολογούμενος· οὐκ ἐλεούμενος, ἀλλὰ μακαριζόμενος. ἕως δῆλόν σοι τὸ δῶρον, ἀλλ' οὐκ ἀμφίβολον καὶ τοῦ βάθους ἡ χάρις ἅπτεται, ἀλλ' οὐ. τὸ σῶμα ἐπιτάφια λούεται· ἕως οὐ θάκρυα περὶ σὲ τῆς ἐξόδου μηνύματα, καὶ ταῦτα εἰς σὴν χάριν τυχὸν ἐπεχόμενα, καὶ γυνὴ, καὶ παῖδες τὴν ἐκδημίαν μεθέλκοντες, καὶ ζητοῦντες ἐζόδια ῥήματα· ἕως οὐκ ἰατρὸς ἄτεχνος περὶ σὲ, ὥρας σοι χαριζόμενος, ὧν οὐκ ἔστι κύριος, καὶ νεύματι ταλαντεύων τὴν σωτηρίαν, καὶ φιλοσοφῶν περὶ τῆς νόσου μετὰ τὸν θάνατον ἢ τοὺς μισθοὺς βαρύνων ταῖς ὑποχωρήσεσιν, ἢ τὴν ἀπόγνωσιν αἰνιττόμενος· ἕως οὐ μάχη βαπτιστοῦ καὶ κρηματιστοῦ, τοῦ μὲν ὅπως ἐφοδιάσῃ φιλονεικοῦντος, τοῦ δὲ, ὅπως γραφῇ κληρονόμος, ἀμφότερα τοῦ καιροῦ μὴ συγχωροῦντος. Num. XI.

stuarium nulla pugna est: dum ille morientem viatico istruere, hic haeres scribi contendit, nec utrumque per tempus licet » N. 11. (1) Et N. 14. « Quanto in periculo versaris? Quot, quamque inopinati rerum casus? (*) Vel bellum oppresserit, vel terrae motus obruerit, vel mare exceperit, vel bellua rapuerit, vel morbus extinxerit, vel mica panis res vilissima transversa per fauces currens (quid enim hominis interitu facilius, quantumvis ob

(1) Qui aegritudine correpti, et instante mortis periculo in lecto baptizabantur, clinici a κλινη ac postea vulgo grabatarii dicti sunt. Horum baptismum, quamvis Ecclesia cum D. Cypriano Ep. 76 ad Magnum semper ratum, ac validum habuerit, numquam tamen probavit. Quapropter ex veteri disciplina, qui sic baptizati fuerant, utpote irregulares ad sacros Ordines promoveri non poterant. Sane Corn. Papa in Epist. ad Fabium Antiochenum apud Eus. lib. VI. H. E. c. 43 non solum ipse illegitimam ex hoc capite ostendit Novationi Ordinationem, sed ab universo Clero, ac populo, talem fuisse judicatam scribit· Ὡς διακελυόμενος ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου, ἀλλὰ καὶ λαϊκῶν πολλῶν ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐπὶ κλίνης διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κληρόν τινα γενέσθαι etc. Intercedebat omnis Clerus, et multi ex laicis, eo quod non liceret eum, qui quemadmodum et ille in lectulo urgente morbo perfusus fuisset, in clerum aliquem assumi ».

Hanc Canonum severitatem mitigavit postea Neocaesariense Concilium Can. 12 non ab omni cleri gradu clinicos prohibens, sed a presbyterio tantum, et quidem sub benigna exceptione « Si quis in aegritudine fuerit baptizatus ad honorem presbyterii non potest promoveri, quia non ex proposito fides ejus, sed ex necessitate descendit: nisi forte propter sequens studium ejus, et fidem, atque hominum raritatem talis possit admitti ».

(*) Ὅσος ὁ περὶ σὲ κίνδυνος! ὅσα τὰ γαργαλίδα συμπτώματα! Ἡ πόλεμος παρανάλωσεν, ἢ σεισμὸς συνοέχωσεν, ἢ θαλάσσα ὑπεδέξατο, ἢ θηρίον ἥρπασεν, ἢ νέσος ἀπώλεσεν, ἢ ψὶξ παραδραμοῦσα, τὸ φαυλότατον (τί γὰρ τοῦ ἀποθανεῖν ἄνθρωπον εὐκολώτερον, κἂν μέγα φρονῇς τῇ εἰκόνι;) ἢ πότος πλεονάσας, ἢ ἄνεμος κρημνίσας, ἢ ἵππος συναρπάσας, ἢ φάρμακον ἐκ, προνοίας ἐπιβουλεῦσαν, τυχὸν δὲ καὶ ἀντὶ σωτηρίου φανὲν θηλητήριον, ἢ δικαστὴς ἀπάνθρωπος, ἢ δήμιος ἀπαραίτητος, ἢ τι τῶν ὅσα ταχίστην ποιεῖ τὴν μετάστασιν, καὶ βηδείας ἰσχυροτέραν.

divinam imaginem glorieris?) vel immodica crapula, vel ventus in praeceps agens, vel equus sessorem secum abripiens, vel pharmacum de industria ad insidias comparatum, fortasse etiam pro salutari pestiferum inventum, vel inhumanus judex, vel inexorabilis carnifex, vel denique quidpiam eorum, quae celerem mortem, atque omni ope, et, auxilio validiorem efficiunt. »

98 Illis denique, qui venabantur peculiares circumstantias ad opportuniorem Baptismi receptionem, stimulos addebant Patres, ut omni abjecta cunctatione, Ecclesiam ingrederentur, atque ita saluti suae prospicerent. Ita nolunt Patres expectari dies solemniores.(*). Hoc, et illud causaris . . . Luminum diem expecto, Paschatis festum pluris facio: Pentecosten expectabo: cum Christo baptizari praestat: cum Christo in Resurrectionis die ad vitam redire: Spiritus adventum honorare. Quid postea? veniet repente finis vitae in die quam non expectas, et in hora quam ignoras; ac tum adveniet quasi malus viator, gratiae inopia, atque in tantis bonitatis opibus, fame laborabis... Quocirca vobis providendum est, ne ad gratiam cunctanter accedatis, verum summam celeritatem adhibeatis etc. » Naz. Num. XXIV. Nolunt expectari, donec consanguinei, et amici intersint, et in promptu

(*) Τὸ καὶ τὸ σκήπτῃ, καὶ προφασίζῃ προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις. Μένω τὰ Φῶτα. τὸ Πάσχα μοι τιμιώτερον· τὴν Πεντηκοστὴν ἐκδέξομαι. Χριστῷ συμφωτισθῆναι Βέλτιον· Χριστῷ συναναστῆναι κατὰ τὴν ἀναστάσιμον ἡμέραν· τοῦ Πνεύματος τιμῆσαι τὴν ἐπιφάνειαν. Εἶτα τί; Ἥξει τὸ τέλος ἐξαίφνης ἐν ἡμέρα, ᾗ οὐ προσδοκᾷς καὶ ἐν ὥρᾳ ᾗ οὐ γινώσκεις· εἶτα παραγίνεταί σοι, ὥσπερ κακὸς ὁδοιπόρος, ἡ πενία τῆς χάριτος, καὶ λιμώξεις ἐν τοσούτῳ πλούτῳ τῆς ἀγαθότητος· . . . . . Διὰ τοῦτο μὴ μέλλετε πρὸς τὴν χάριν· ἀλλ' ἐπείγεσθε, μὴ λῃστὴς ὑμᾶς προλάβῃ etc.

sint munera offerenda in Baptismo: « (*) Ne dixeris . . adsit mihi Pater, adsit mihi mater, fratres, uxor, liberi, amici, atque omnes quos charos habeo, et tum salutem recipiam: nunc autem nondum splendidum fieri vacat. Verendum enim est, ne luctus socios accipias, quos te laetitiae socios habiturum speraveras. Quamobrem si quidem adsint pulchre tecum agi puta: sin autem absint, ne expectes. Turpe est enim dicere: Ubi est munus quod propter baptismum offeram? . . Ubi splendida vestis in qua explendescam? Ubi ea quae ad initiatores meos excipiendos requiruntur, ut in his quoque rebus nominis celebritatem consequar? Valde enim ut vides haec necessaria sunt, ac propterea gratia imminuetur. Ne in magnis rebus minuta, et leviuscula in rationem mittas: ne turpi aliquo, et abjecto affectu te duci patiaris. Istud mysterium sublimius est iis rebus, quae in oculorum aspectum cadunt . . . In ceteris quidem rebus inter divitias, et paupertatem refert: hic autem qui promptior, et alacrior est, idem quoque ditior evadit » Idem N. XXV. Nolunt differri Baptismum dum adsit copia Ministri, qui

(*) Καὶ μὴ εἴπῃς,... παρέστω μοι μήτηρ, παρέστω μοι πατὴρ, ἀδελφοὶ, γυνὴ, τέκνα, φίλοι, πᾶν ὅ τί μοι τίμιον, καὶ τηνικαῦτα σωθήσομαι· νῦν δὲ οὔπω μοι καιρὸς λαμπρύνεσθαι. Δέος γὰρ, μὴ κοινωνοὺς λάβῃς πένθους οὓς εὐφροσύνης κοινωνοὺς ἤλπισας. Ἐὰν μὲν παρῶσιν, ἀγαπητέον ἐὰν δὲ ἀπῶσι, μὴ ἀναμείνῃς. Αἰσχρὸν γὰρ εἰπεῖν· Ποῦ δέ μοι τὸ καρπεφορούμενον ἐπὶ τῷ Βαπτίσματι; Ποῦ δὲ ἡ ἐμφώτειος ἐσθὴς, ἣ λαμπρυνθήσομαι; Ποῦ δὲ τὰ πρὸς δεξίωσιν τῶν ἐμῶν Βαπτιστῶν, ἵνα κἀν τούτοις εὐδοκιμήσω: Πάνυ γὰρ, ὡς ὁρᾷς, ἐστὶ ταῦτα τῶν ἀναγκαίων, καὶ παρὰτοῦτο ἡ χάρις ἐλαττωθήσεται Μὴ μικρολογοῦ περὶ τὰ μεγάλα· μηδὲν ἀγεννὲς πάθῃς. Μεῖζον τῶν ὁρωμένων ἐστὶ τὸ μυστήριον . . . . Ἐν ἄλλοις μὲν ἡ διαφορὰ τοῦ πλουτεῖν καὶ τοῦ πένεσθαι· ἐνταῦθα δὲ, ὁ προθυμότερος, πλουσιώτερος.

sanctimonia, et dignitate praefulgeat « (*) Ne dicas: baptizet me Episcopus, atque is Metropolitanus, aut Jerosolymitanus: (non enim locorum est gratia, sed Spiritus); isque etiam sit claro, et nobili genere ortus; grave enim fuerit nobilitati meae ob ejus qui baptizat obscuritatem, labem, ac dedecus inferri: aut si presbyter saltem qui caelebs sit, qui continentiae laude, atque angelica vivendi ratione floreat: grave enim fuerit si in purgationis tempore inficiar, atque commaculer. Ne concionatoris, aut baptizantis auctoritatem inquiras. Alius horum judex est, ac rerum obscurarum explorator, quandoquidem homo faciem, Deus autem cor intuetur. Tibi autem quivis ad purgationem satis idoneus est, modo inter probatos censeatur, ne non aperte con-

(*) Μὴ εἴτης· Ἐπίσκοπος Βαπτισάτω με, καὶ οὗτος μητροπολίτης, ἢ Ἱεροσολυμίτης (οὐ γὰρ τόπων ἡ χάρις, ἀλλὰ τοῦ Πνεύματος) καὶ οὗτος τῶν εὖ γεγονότων. Δεινὸν γὰρ, εἰ τῷ Βαπτιστῇ τὸ εὐγενές μου καθυβρισθήσεται· ἢ πρεσβύτερος μὲν, ἀλλὰ καὶ οὗτος τῶν ἀγάμων, καὶ οὗτος τῶν ἐγκρατῶν καὶ αγγελικῶν τὴν πολιτείαν· Δεινὸν γὰρ, εἰ ἐν καιρῷ καθάρσεως ῥυπωθήσομαι. Μὴ ζήτει ἀξιοπιστίαν τοῦ κηρύσσοντος, μηδὲ τοῦ βαπτίζοντος. Ἄλλος ὁ τούτων κριτὴς, καὶ τῶν ἀφανεστέρων δοκιμαστής· ἐπειδὴ, ἄνθρωπος μὲν εἰς πρόσωπον, Θεὸς δὲ εἰς καρδίαν. Σοὶ δὲ πᾶς ἀξιόπιστος εἰς τὴν κάθαρσιν· μόνον ἔστω τις τῶν ἐγκρίτων, καὶ μὴ τῶν προδήλως κατεγνωσμένων, μηδὲ τῆς Ἐκκλησίας ἀλλότριος. Μὴ κρῖνε τοὺς κριτὰς, ὁ χορηγῶν τῆς ἰατρείας· μηδὲ φιλοκρίνει μοι τὰς ἀξίας τῶν σὲ καθαιρόντων, μηδὲ διακρίνου πρὸς τοὺς γεννήτορας. Ἄλλος μὲν ἄλλου κρείττων, ἢ ταπεινότερος· σοῦ δὲ πᾶς ὑψηλότερος. Σκόπει δὲ οὕτως. Ἔστω κρυσὸς, ἔστω σίδηρος, δακτύλιοι δὲ ἀμφότεροι, καὶ τὴν αὐτὴν, ἐγκεχαράχθωσαν εἰκόνα βασιλικὴν, εἶτα κηρὸν εντιπούτωσαν. τί διοίσει ἡ σφραγὶς αὕτη τῆς σφαγῖδος ἐκείνης; Οὐδέν. Ἐπίγνωθι τὴν ὕλην ἐν τῷ κηρῷ, κἂν ᾖς σοφώτατος· εἰπὲ τί μὲν τοῦ σιδήρου, τί δὲ τοῦ χρυσοῦ τὸ διάφορον, οὐ τοῦ χαρακτῆρος. Οὕτως ἔστω σοι πᾶσ Βαπτιστής. Κἂν τῇ πολετείᾳ προέχῃ, ἀλλ' ἥ γε τοῦ Βαπτίσματος δύναμις ἴση. »

demnatus sit, atque ab Ecclesia alienus. Qui curatione indiges, in judices judicium ne arripe, nec eorum a quibus purgaris dignitates excute, nec inter genitores delectum habe. Est quidem alius alio praestantior, vel inferior, te autem quivis est superior. Sic tecum reputa. Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eamdem imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo signo differet? Nihil. Materiam in cera internosce, quamlibet singulari solertia sis ? Dic utrum duobus signis aureo scilicet annulo, an ferreo expressum sit, et quomodo unum idemque signum existat? Discrimen enim in materia est non in signo. Sic tibi quoque omnes qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius, alium vitae probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est » Idem N. XXVI.

99 Postremo non deerant qui nimias occupationes, impedimentum ad baptismum praetexebant: dum alii ex animi elatione, vel itineris longinquitate detinebantur. Audiendus porro Nazianzienus, quomodo utrosque urgeat; et primos quidem N. XIX. « (*) At in media ho-

(*) Ἀλλ' ἐν μέσῳ στέφῃ, καὶ μολύνῃ τοῖς δημοσίοις· καὶ δεινὸν, εἴ σοι δαπανηθήσεσται τὸ φιλανδρωπου; Ἁπλοῦς ὁ λόγος· Εἰ μὲν οἷόν τε, φύγε καί τὴν ἀγορὰν μετὰ τῆς καλῆς συνοδίας, πτέρυγας ἀετοῦ σεαυτῷ περιδεὶς, ἢ περιστερᾶς, ἵν οἰκειότερον εἴπω . . . . Εἰ δὲ προκατέχῃ, καὶ δέδεσαι δεσμοῖς ἀναγκαίοις, ἐκεῖνο σεαυτῷ διαλέχθητι, μᾶλλον δὲ σοὶ αὐτὸς διαλεχθήσομαι. Κρεῖσσον μὲν καὶ τυχεῖν τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ φυλάσσειν τὴν κάταρσιν εἰ δὲ ἀμφότερα μὲν ἐνδέχεται, κρεῖσσόν ποτε μικρὰ μολυνθῆναι τοῖς σοῖς δημοσίοις, ἢ παντάπασιν ἐκπεσεῖν τῆς χάριτος: ὥσπερ, οἶμαι, κρεισσον ἐπιτιμηθῆναι τι παρὰ πατρὸς καὶ δεσπότου, ἢ ἀπωσθῆναι· καὶ μικρὸν αὐγάζεσθαι, ἢ παντελῶς σκοτίζεσθαι. Σοφρόνον δὲ, ὥσπερ τῶν ἀγαθῶν τὰ μείζω καὶ τελεώτερα, οὕτω καὶ τῶν κακῶν τε καὶ κουφότερα. Διὰ τοῦτο μὴ λίαν φοβηθῇς τὴν κάθαρσιν.

minum frequentia versaris, ac publicarum rerum cura, et administratione inquinaris, atque idcirco metuis, ne misericordia, quam per baptismum consecutus es, depereat? Simplici oratione tecum agam. Forum quoque ipsum si fieri potest, cum pulchro comitatu fuge, aquilae, vel ut magis apposite dicam columbae pennis tibi ipsi impositis . . . Quod si jam occupatus es, ac necessariis vinculis adstrictus, ita tecum ipse disputa, vel ego potius tecum disputabo. Praestat quidem et bonum consequi, et purgationem tueri, ac conservare: verum si utrumque non datur, illud certe praestat in rerum publicarum administratione nonnihil interdum sordium contraxisse, quam omnino a gratia excìdere quemadmodum scilicet a patre, et haero quandoque objurgari satius est, quam domo ejici et exiguo splendore perstringi, quam prorsus obscurari. Prudentum porro, et cordatorum virorum est ut in bonis meliora, et excellentiora, ita in malis minora, et leviora eligere. Quocirca ne tantopere purgationem formides » Aliis autem ita scrupulos eximit n. XXVII « (*). Ne tua dignitate alienum putes simul cum paupere baptizari, qui dives es patricius cum ignobili herus cum eo qui hactenus tibi servus extitit. Nondum tantum te demittes quantum Christus... qui salutis tuae causa servilem quoque formam accepit.

(*) Μὴ ἀπαιξιώσῃς συμβαπτισθῆναι πένητι, πλούσιος ὢν, ὁ εὐπατρίδης τῷ δυσγενεῖ, ὁ δεσπότης τῷ δούλῳ μέχρι τοῦ νῦν. Οὔπω τοσοῦτον ταπεινοφρονήσεις, ὅσον Χριστὸς . . . . ὃς διὰ σὲ καὶ δούλου μορφὴν ἐδέξατο. Ἀφ' ἧς ἡμέρας μεταποιῇ, πάντες εἶξαν οἱ παλαιοὶ χαρακτῆρες· μιᾷ μορφῇ πᾶσι Χριστός ἐπιτέθειται . . . . . Μὴ διαπτύσῃς ἐξορκισμοῦ θεραπείαν, μηδὲ πρὸς τὸ μῆκος ταύτης ἀπαγορεύσῃς . . . . Μὴ κατοκνήσῃς, μὴ ὁδοῦ μῆκος, μὴ μέτρα θαλάσσης, μὴ πῦρ, εἰ καὶ τοῦτο πρόκειται, μὴ ἄλλο μηδὲν, ἢ μικρὸν, ἢ μεῖζον τῶν κωλυμάτων, ὥστε τυχεῖν τοῦ χαρίσματος.

Ex quo die per baptismum immutaris veteres omnes notae cesserunt: una forma omnibus Christus impositus est.... Nec exorcismi medicinam respuas, nec ob illius prolixitatem animo concidas.... Ne viae longinquitatem reformides, nec maris spatia, nec ignem si adhibeatur, nec aliud quodcumque impedimentum quo gratiam consequaris ». Et n. XXXI ita concludit. « (*) Quare si quid me audiendum putatis hujusmodi rationes valere jubete, atque ipsi ad bonum hoc prosilite, ac duplex certamen inite, alterum ut vos ipsos ante Baptismum emundetis; alterum, ut acceptum Baptismum conservetis. »

100 Ex dictis interim sequitur 1° causas historice certas, neque ad libitum excogitatas, quibus plerique sequiori Ecclesiae aevo moras Baptismo nectebant, non equidem aliqua disciplinari consuetudine, quae plerumque saltem uniformis fuisset, sed ex particulari privatorum voluntate ortum duxisse: itaque variae, oppositae, pugnantes, pro vario singulorum ingenio, diversis cupiditatibus, dispositionibus reperiuntur 2° ejusmodi causas, praecisione facta in aliquo particulari casu ab honesta agentis intentione, generatim vituperandas esse, ac damnabiles, prout reapse a Patribus uno ore improbantur, ac respuuntur: 3° Pastores Ecclesiae ejusmodi causas reprehendere, ac rejicere tum singillatim ob insita ipsis vitia, tum conglobatim ob earum oppositionem cum necessitate Baptismi quae tanta est, ut si quis sine eo moriatur, damnationem veteris Adae incurrat, et haereditatem Regni caelestis capessere nequeat: quae

(*) Εἴ τι οὖν ἐμοὶ πείθεσθε, τοὺς μὲν τοιούτους λόγους χαίρειν ἐάσατε. αὐτοὶ δὲ τῷ ἀγαθῷ προσπηδήσατε, καὶ διπλοῦν ἀγῶνα ἀγωνιεῖσθε· τὸν μὲν προκαθαίρειν ὑμᾶς αὐτοὺς τοῦ Βαπτίσματος, τὸν δὲ συντηρεῖν τὸ βάπτισμα.

ratio suprema, et immutabilis in ipsa natura Baptismi fundata non modo excludit privata illa quae recensuimus motiva, sed neque locum relinquit aeconomiae, quam nonnulli veteri Ecclesiae affingunt.

101 Hic autem fortasse quaeret quispiam, qui factum sit, ut relaxata veteri disciplina Christianos Parentes torpor ille incesseret, quem Hieronymus scelus vocare non dubitat? Reponunt plures, abusum hunc gliscere caepisse in Ecclesiam, cum haereticorum tyrannide, Arianae praesertim factionis, Episcopis in exilium actis, stata celebrando Baptismati tempora non amplius observari poterant. Id equidem assentior: sed cum aliunde videam plura exempla dilati baptismatis, etiam ubi, et quando non deessent qui illud ordinatis diebus administrarent, aliam, opinor, negligentiae causam ampliorem extitisse, hancque negativam, et mere occasionalem, defectum scilicet legis universalis, urgentis impletionem praecepti Divini de Baptismate recipiendo.

102 Revera nulla in Actis veterum Conciliorum nulla in Decretis antiquorum Pontificum continetur sanctio pro universa Ecclesia, quae Parentibus Christianis praefiniat temporis spatium adducendi parvulos suos ad Baptismum, cujus limites praetergredi nefas esset. Multa quidem ecclesiasticis legibus decreta, et cauta videmus circa solemniores dies ac ritus in celebratione baptismatis custodiendos: at lex universalis praescribens Christianis parentibus tempus procurandis natis suis beneficium regenerationis, tantum abest, quod in primordiis Ecclesiae edita fuerit, ut etiam nostris diebus desideretur. Defectum hujusmodi legis universalis notavit Benedictus XIV. lib. XII. de Syn. Dioec. c. 6 n. 2 declarans pariter, quaenam in hac re futurae sint Episcoporum

partes cum Synodos suas particulares peragunt « Eugenius IV. inquit in sua Constit. 27 § 13 et Rituale Romanum tit. 9 praecipiunt . . . . recens natos infantes, quamprimum commode poterit esse baptizandos : at neque Eugenius, neque Rituale tempus praefiniunt, intra quod sint ad Ecclesiam deferendi , ut salutari aqua abluantur, ac propterea integrum erit Episcopis illud determinare, quod a S. Carolo Borromaeo atque ab aliis Episcopis in suis Synodis sapientissime factum videmus. » Executionem igitur legis divinae generalis baptizandi omnes gentes, nulla positiva lex Ecclesiae urgebat respectu infantium, sed sola rei praeceptae summa gravitas, et consuetudo ab Apostolis ipsis invecta, de qua mox dicemus. Hac igitur lege deficiente, facile fieri potuit, ut reddita Ecclesiae pace, plerique fideles a fervore majorum in festinando infantium suorum baptismo paulatim in segnitiem dilaberentur, quam filii grandiores effecti obsecundabant arreptis causis partim manifestam pravitatem , partim pietatis speciem praeseferentibus.

103 Ratum igitur maneat « dilationem Baptismatis ad mortis articulum , vel ad provectam aetatem cujus frequentiora exempla sequiori aevo conspiciuntur, non ab Ecclesiae jussione vel consilio, vel praxi ortum habuisse, *sed a privatorum arbitrio*, reclamante Ecclesia per Pastores suos.

# CAPUT VI.

## § I.

### *De natura, et origine paedobaptismi*

Praxis paedobaptismi qua late patet est origine divina, propagatione Apostolica – Characteres divino – apostolicae traditionis in ea reperiuntur – Sententia Patrum – Augustini expressa probatio – Mandatum Divinum baptizandi omnes gentes complectitur etiam infantes – Illud Apostoli secundum hanc generalitatem executioni mandarunt – Loca biblice huc spectantia exemplis similibus declarantur.

104 Ad tertium propositae disputationis caput accedimus, in quo agendum erit de origine toties jam memoratae praxis conferendi mox natis novae nativitatis Sacramentum. Rursus autem hic monitum volo, quod saepius monui, loqui me de praxi indefinite spectata, hoc est non restricta ad aliquam parvulorum classem, puta eorum quibus vitae periculum immineret , sed quae ad omnes omnino parvulos etiam bene volentes sese porrigeret.

105 Dicimus autem hunc morem in tota sua amplitudine acceptum esse originis Apostolicae, seu Apostolos tradidisse Ecclesiae disciplinam tingendi parvulos sine ulla, distinctione, eamque esse disciplinam quam Ecclesia *veluti suam* quovis tempore agnovit, ac successivae severitatis adjectione impleri voluit.

106 Jamvero id ex ipsa quam praemisimus historica demonstratione sponte sua emergit. Nos enim investigantes majori qua potuimus sedulitate aeconomiam a veteri Ecclesia in administratione Baptismatis observari solitam, deprehendimus eam aequabili manu puerulis, et grandaevis hoc salutare munus dispensantem. Testes hujus consuetudinis longe lataequae diffusae, ex

omnibus Christiani orbis regionibus appellavimus : et quaelibet Ecclesia suos dedit Praesules, non novae praxis conditores, sed rei a majoribus acceptae, atque ab ortu, et initiis christianae Religionis fluentis custodes, et assertores: suos dedit Romana Ecclesia, aliarum Mater et Caput: suos Italia , Gallia , Hispania , Graecia , Palaestina, AEgyptus , Syria, Anglia, Pontus, Africa omnis suos dedit hujus consuetudinis testes modo singulatim, modo in unum collectos. Quaelibet insuper Ecclesia, sua nobis exhibuit liturgica documenta venerandae prorsus antiquitatis, quae moris hujus exercitium describunt, ac viventem formam repraesentant. Ipsos denique haereticos, fateri vidimus vel invitos agendi rationem publicam, et solemnem Ecclesiae, etsi eam alieno sensu acciperent, et cum suis placitis conciliare studerent.

107 Huic praxi tanta testium nube, tot monumentis communitae nihil officiunt a quarto praesertim saeculo prorogata multorum baptismata, quae a Magistris Ecclesiae haud secus quam abusus, et deflexus a priscae observantiae tramite judicata fuere, ac reprehensa. Praxis igitur baptizandi parvulos triplici illo charactere insignita est , quo instituta , et traditiones divinae , et apostolicae ab Ecclesiasticis apprime internoscuntur, *antiquitate scilicet*, *universalitate*, *consensione*.

108 Neque aliter quam divinam et apostolicam ejusmodi traditionem habuerunt Patres antiquissimi, sive qui eam ita expresse vocant, uti Origines, (1) et Auctor de Ecclesiastica Hierarchia: (2) sive qui eam conjunctim

(1) Vid. num. 8 hujus dissert.
(2) Cfr. num. 77.

exhibent cum fine generalis Redemptionis ac salutis a Christo perfectae, et omnibus oblatae, Ireneus, (1) Cyprianus, (2) Epiphanius, (3) Auctor libri de Vocatione gentium, (4) Fulgentius: (5) vel qui tradunt baptismum circumcisioni successisse, uti Ambrosius, (6) Basilius, (7) Asterius, (8) Lactantius, (9) Isidorus Pelusiota: (10) vel qui baptismum dandum infantibus sive inferunt, sive probant ex lege universali « Nisi quis renatus etc. » et ex aliis verbis Christi Domini « Sinite parvulos etc. » uti auctor Constitutionem Apostolicarum, (11) S. Innocentius I (12) pseudo-Nicaenus Canon, (13) Epiphanius: (14) Concilium Carthaginense (15) et ex debito avertendi a parvulis periculum aeternae salutis uti auctor Recognitionum, (16) Basilius (17) Asterius, (18) Siricius R. P. (19) Nazianzenus, (20) Petrus Chrysologus, (21) Concilium Carthaginense: (22) vel denique qui eam considerant tamquam transmissam cum doctrina de peccato originali, ejusque propagatione, uti omnes Patres Pelagianorum oppugnatores.

109 Neque aliter quam Divinam, et Apostolicam eam spectavit magnus Augustinus, idque pluribus in locis declaravit, sed potissimum Serm. 176 alias 10 de Verb. Apost. ubi arguens ex paedobaptismo transfusionem

(1) Cfr. num. 4.
(2) Num. 10.
(3) Num. 36.
(4) Num. 66.
(5) Num. 76.
(6) Num. 29.
(7) Num. 30.
(8) Num. 37.
(9) Num. 45.
(10) Num. 57.
(11) Num. 7.
(12) Cfr. Num. 72.
(13) Num. 42.
(14) Num. 36).
(15) Num. 73.
(16) Num. 6.
(17) Num. 30.
(18) Num. 37.
(19) Num. 40.
(20) Num. 46.
(21) Num. 55.
(22) Num. 73.

peccati origtnalis in omnes Adae posteros , ita constanter loquitur , ut ad perpetuam Ecclesiae retentionem, traditionem fidemque majorum ac perseverantem custodiam referat utrumque, objectum nempe et medium demonstrationis. (1) Pari argumentandi ratione utrumque complectitur et in Ep. ad Hieronymum (2) ubi supra fundatissimum Ecclesiae morem tingendi parvulos, adstruit Apostolicam manifestissimam fidem de primigeniae labis transmissione in omnes homines, (3) et Serm. 174.

(1) « Nemo vobis susurret doctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorem fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit. Quoniam non opus sanis medicus, sed aegrotantibus. Quid necessarium ergo habuit infans Christum, si non aegrotat? Si sanus est, quare per eos qui eum diligunt, medicum quaerit? Si quando portantur infantes, dicuntur omnino nullum propaginis habere peccatum, et veniunt ad Christum: quare non iis dicitur in Ecclesia qui eos portant: Auferte hinc innocentes istos.... Numquam dictum est, sed nec aliquando dicetur. Quisque ergo, quod potest, fratres, loquatur pro eo, qui loqui pro se non potest. Pro magno commendantur Episcopis patrimonia pupillorum, quanto magis gratia parvulorum? Pupillum tuetur Episcopus ne mortuis parentibus ab extraneis opprimatur. Clamet plus pro parvulo, cui timet ne a parentibus occidatur... Eligant parentes unum de duobus aut confiteantur in parvulis suis sanari peccatum, aut eos medico offerre desinant. Hoc nihil est aliud, quam velle medico sanum afferre. Quid offero? Baptizandum. Quem? infantem. Cui offero? Christo. Ei certe qui venit in Mundum? Ita, inquit. Quare venit in mundum? Peccatores salvos facere. Ergo quem offers, habet quod in illo salvum fiat? Si dixeris: habet: confitendo deles: si dixeris, non habet: negando tenes. »

(2) 166 al. 28 de orig. an. c. 8 n. 24.

(3) Ep. ad Hier. c. 6 n. 21. « Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto, et contra apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse » et n. 23 « Beatus Cyprianus, non aliquod Decretum condens novum, sed Ecclesiae fidem firmissimam servans, ad corrigendum eos qui putabant ante octavum diem nativitatis, non esse parvulum baptizandum non carnem, sed animam dixit non esse perdendam; et mox natum rite baptizari posse cum suis quibusdam Coepiscopis censuit.....

ubi christianos parentes urget, ut renascendi gratiam natis accelerent, neque contra antiquam fidei regulam renitantur. (1) Ita etiam lib. III de peccat. merit, et remiss. c. 4 n. 9 (2) ita denique lib. IV. contra Donati-

Contra Apostolicam manifestissimam fidem nemo sentiat, quae ex unius delicto omnes in condemnationem duci praedicat: ex qua condemnatione non liberat, nisi gratia Dei per Jesum Christum D. N. in quo uno omnes vivificantur, quicumque vivificantur. Contra Ecclesiae fundatissimum morem, nemo sentiat, ubi ad baptismum si propter sola parvulorum corpora eurreretur, baptizandi offerrentur, et mortui ».

(1) Serm. 174 al. 8 de Verbis Ap. n. 9 « Si tu renascendo vivis, sine ut et ille renascatur et vivat: sine, inquam, renascatur, sine renascatur. Quare contradicis? quare novis disputationibns antiquam fidei regulam frangere conaris? Quid est enim quod dicis: parvuli non habent omnino vel originale peccatum? Quid est quod dicis nisi ut non accedant ad Jesum? Sed tibi clamat Jesus. « Sine parvulos venire ad me ».

(2) Explicans alibi a se dicta, declarat ea non alium sensum habere posse, « nisi per quem factum est, ut antiquitus universa Ecclesia retineret, fideles parvulos originalis peccati remissionem per Christi baptismum consecutos. Unde, prosequitur n. 10 non immerito B. Cyprianus satis ostendit quam hoc ab initio creditum, et intellectum servet Ecclesia: qui non parvulos a materno utero recentissimos jam idoneos ad percipiendum Christi Baptismum assereret, quoniam consultus fuerat, utrum hoc ante octavum diem fieri deberet: quantum potuit conatus est eos demonstrare perfectos; ne quis quasi pro numero dierum, quia octavo antea circumcidebantur infantes, eos adhuc perficiendos existimaret. Sed cum magnum eis defensionis patrocinium praestitisset, ab originali tamen peccato eos immunes non esse confessus est, quia si hoc negaret ipsius Baptismi causam propter quam percipiendum eos defendebat, auferret » Allato deinde duplici loco ex Epistola Cypriani, quam et nos retulimus: « Vides inquit quanta fiducia, ex antiqua, et indubitata fidei regula vir tantus ista loquatur? Qui haec documenta certissima ideo protulit, ut id illud quod erat incertum (nempe judicio Fidi, ut postea declarat) unde consuluerat ille cui rescribit, et unde Concilii decretum constitutum esse commemorat, ut scilicet etiam ante octavum diem, ex quo die natus esset infans, cum si afferretur baptizare nemo dubitaret, per haec firmamenta probaretur. Neque enim hoc tum quasi novum, aut quasi aliqua cujusquam contradictione pulsatum, concilio statuebatur, seu firmabatur, quod obstricti originali peccato tenerentur infantes: sed cum illic alia consultatio versaretur, utrum eos, et ante octavum diem baptizare oporteret; ideo ei qui hoc negabat nemo consensit: quia jam non consulendum, nec disceptandum, sed firmum, certumque habebatur, animam saluti ae-

stas c. 23. 24. ubi consuetudinem baptizandi parvulos adducit veluti specimen, et exemplum Apostolicarum traditionum ad quas dignoscendas statuit vulgatissimum illum Canonum « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur. » Quisque autem vel nemine monente intelligit, morem baptizandi infantes, vocari ab Augustino, et aliis Patribus Apostolicum non quod ipsi Apostoli eum instituerint, sed a Domino acceptum, usu ipso, Ecclesiae tradiderint, et commendaverint.

110 Apostoli enim illimitatam Baptismi legem Matt. ult. exequentes non adultos tantum, sed et integras familias, ac domos baptizare consueverunt. Legimus in act. Apost. c. XVI. 13 Apostolum Paulum baptizasse Lydiam purpurariam cum omni domo ejus: c. XVI 33 custodem carceris Macedoniae cum universa ejus domo: et I ad Cor. I. 16 ipse Paulus testatur, se universam Ste-

ternae perituram, si hanc vitam sine illius Sacramenti consecutione finiret: quamvis ab utero recentissimi parvuli solo reatu essent peccati originalis obstricti: quare illis etsi multo facilior quod alienorum, sed tamen esset necessaria remissio peccatorum. His certis, illa incerta (qualia Fido videbantur) de octavo die quaestio dissoluta est, atque in Concilio judicatum, homini nato ne in aeternum pereat, *omni die debere succurri*: cum etiam de ipsa carnali circumcisione ratio redderetur, quod umbra esset futuri: non quo intelligeremus etiam Baptismum octavo ex quo natus est homo die dari oportere, sed nos in Christi resurrectione spiritaliter circumcidi, qui tertio quidem post diem passionis, in diebus tamen hebdomadarum, quibus tempora provolvuntur, octavo, hoc est post sabbatum primo die a mortuis resurrexit. Et nunc nescio cujus novae disputationis audacia, quidam nobis facere conantur incertum quae majores nostri ad dissolvenda quaedam quae nonnullis videbantur incerta, tamquam certissimum proferebant. » Ex quo testimonio rursus apparet Augustinum urgere Pelagianos ex praxi Ecclesiae, non qualicumque, sed generaliter et ordinarie circa parvulos observata, qualem Cyprianus vindicaverat et Africanae Ecclesiae severius retinebant.

phanae domum baptizavisse. At in quavis domo vel familia facile reperiuntur infantes: et hi ergo baptizati sunt a primis Verbi Dei praeconibus, et Baptismi legis executoribus. Juverit in hujus illationis confirmationem afferre quae leguntur in Actis SS. Andochi, Tyrsi, et Felicis MM. (1) «Erat tunc temporis (Augustoduni) Faustus nobilissimus vir Praefectorius, qui sub clamyde propter iniquissimi Caesaris minas, Christum latenter colebat... qui cum eos (Tyrsum Benignum etc.) vidisset..... suppliciter exoravit, ut omnibus amicis, *et familiae ejus* baptismatis gratiam condonarent.... Habebat autem vir illuster Faustus filium quasi trium annorum nomine Symphorianum, quos suppliciter exoravit, ut et eum baptismatis gratia consecrarent. Quod ipsi gaudentes, S. Benignus eum baptizavit, Andochius vero eum de sacro fonte suscepit . . . Nuper quidem . . omnes amici, vel familia domus Fausti per hos Beatissimos Martyres Baptismatis gratiam fuerunt adepti . . . Habebat autem vir illuster Faustus sororem sibi germanam Lingonicae civitatis Matronam, nomine Leonillam, cujus erant parvuli gemini nepotes ex filio suo tres viri aspectu pulcherrimo, animo pulchriore, idest Josephus, et Eleusephus et Malasippus, quos divinis litteris erudiebat. Erat in his gratia plena, sed baptismi ablutionem non erat qui praeberet. Tunc praestantissimus vir S. Benignum presbyterum, sicut margaritam praetiosam, aut munus caeleste sorori transmisit . . . Quo excepto hi gemini tres fratres baptismatis gratiam consecuti sunt. Quae Matrona omnes domus utriusque sexus, conditionis, *et aetatis* per S. Benignum Baptismatis gratia consecravit. » Ad

(1) Quorum martyrium ad an. 213 contigisse fertur: acta procul dubio apocrypha sunt: tamen antiquitate non carent.

rem etiam perbelle faciunt quae leguntur in Actis Martyrii S. Clementis Papae Romani, n. 16 de Sisinnio Imperatoris Nervae amico, qui « credidit cum *omni domo sua*, traditoque suo nomine, appropinquante Paschate baptizatus est. Numerati autem sunt, qui baptizati fuerunt de domo ejus omnes simul viri, et mulieres *cum infantibus* quadringenti viginti tres ».

111 Illae itaque locutiones Biblicae, quibus perhibentur universae familiae, ac integrae domus baptizatae non solum insita potestate sed collatis exemplis comprehendunt etiam infantes, qui in ipsis ordinarie reperiuntur: ac propterea Apostoli omnia sine discrimine individua familiarum baptizantes divinum praeceptum adimplebant, quo eis sine distinctione mandatum fuerat » Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos » Mat. ult.

## § II.

Exposita paedobaptismi origo excludit juridice aeconomiam, quam nonnulli primitivae Ecclesiae contra historiae veritatem affingunt - Sententia Augustini. Ipsa paedobaptismi natura, praesumptam aeconomiam iuridice excludit. – Actualis Ecclesiae praxis in suo fundamento est perpetua, et immutabilis – An antiqua Ecclesia longiores quam nunc puerorum baptismo moras necteret?

112 Ex iis quae hactenus disputavimus prono alveo fluit numquam aut factum esse, aut fieri posse aliquando, ut huic consuetudini altera succedat, vi cujus non omnes passim parvuli baptizentur, sed illi tantum qui in aliquo mortis periculo existunt: alii vero ad adultam reserventur aetatem. Haec enim immutatio ab Ecclesia dumtaxat fieri posset: at Ecclesia non habet potestatem in ea instituta, quae divino mandato, et auctoritate Apostolica nituntur: nisi ab ipso Domino, et Apostolis

una cum objecto tradito jus acceperit illius immntandi: cujus dispensativae potestatis Ecclesiae commissae in re de qua agimus neque Sacrae litterae, neque historia, neque alia quaelibet documenta ullum indicium produnt. Hinc Augnstinus de hac praxi loquens, quae suo tempore ut vidimus ad omnes parvulos extendebatnr « hoc inquit, Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit ».

113. Ex ipsa insuper rei natura demonstrari potest praxim qua de agimus stabilitatem sibi vindicare. Ejus enim constituendae ratio duplex est: scilicet ex una parte indigentia gratiae regenerantis, qua laborant parvuli in Adam spiritualiter mortui: ex altera periculum sine ea decedendi; quod tenerrimae aetati maxime timendum est. Audiatur Cath. Rom. de Sacr. Bapt. p. 2 n. 34 « Nam cum pueris infantibus, nulla alia salutis comparandae ratio, nisi eis Baptismus praebeatur, relicta sit, facile intelligitur, quam gravi culpa illi se obstringant, qui eos Sacramenti gratia diutius, quam necessitas postulet carere patiantur: cum praesertim propter aetatis imbecillitatem infinita pene pericula illis impendeant. » Intuitu istius periculi, et necessitatis omnes antiqui Patres inculcant festinationem salutaris lavacri, et contra morosos invehuntur.

114. Neque aliunde ortum habuerunt posterioribus seculis multiplices illae sanctiones Synodales, quibus christifidelibus indicitur, etiam sub poena excomunicationis, ut sublato quovis praetextu vel patrinos congregandi, vel pompae apparandae intra praefinitum tempus recens natos infantes ad baptismum deferant. « Efficit Sacramenti necessitas, inquit Synodus Dioe-

cesana Ferrariensis, (1) ut ..... jubeamus infantem baptizari non tardius, quam altero a natali illius die » Simile statutum editum legitur in Synodo Praenestina (2) et in Portuensi S Rufinae, et Centumcellarum, anni 1847 hic verbis « Hortandi autem sunt magnopere fideles, ut liberos suos cum primum id sine periculo facere liceat ad Ecclesiam deferendos, et solemnibus caeremoniis baptizandos curent. Quare spectata summa hujus Sacramenti necessitate, vetamus ne ultra tertium ab natali diem baptismus differatur, eosque qui huic nostro mandato non paruerint, condigna poena mulctabimus ». Qui plura ejusmodi videre cupit, adeat Natalem ab Alexandro (3) Edmundum Martenium (4) et Benedictum XIV, (5) qui inter alia haec habet : « Variam Ecclesiarum disciplinam deprehendimus in statuendo temporis spatio, quo infantes ad Baptismum suscipiendum deferri debent. Romae promulgatum est edictum, an. 1723 quo tres solum dies ad rem peragendam decernuntur. Idem in Gallia servatur institutum. (6) Diem nonum in suis Conciliis S. Carolus Borromaeus constituit, eamque sententiam plures aliae Synodi sequuntur .... Non autem hic nonus dies indicitur, ita ut Baptismi Sacramentum infantibus ante id tempus administrari nequeat. Imo res gerenda est quamprimum fieri possit, ob maxima pericula, quae vitae infantium impendent. Sed nonus dies praescribitur, ne Baptismus magis protrahatur ».

(1) Habita an. 1781.

(2) An. 1804.

(3) Theolog. Dogm. Mor. tom. 1 lib. 2 de Sacr. Bapt. c. 4 prop. III Regula III.

(4) De Ant. Eccl. Ritib. lib. 1 c. 1 art. IX.

(5) Inst. Eccl. Tom. 3. Inst. 38.

(6) Genett. tom. 3. Theol. Mor. p. 78.

115. Jamvero haec ratio expiandi quamprimum infantes, suapte natura est constans, universalis, perpetua: semper enim infantilis aetas eadem gratiae necessitate tenetur: semperque periculum est, ne mors antevertat mundationem: ergo praxis paedobaptismi suapte natura, non est quoad substantiam mutationi obnoxia: ergo si alia non subessent documenta, sollicitudo praesentis Ecclesiae pro regenerandis parvulis satis superque argumento esset, eodem studio retroactis temporibus pro eorum salute in tuto collocanda incensam fuisse: quamvis non tulerit ea praecepta, quae postea, cogente negligentia parentum, addita poenarum interminatione promulgavit.

116. Sed occurret aliquis: nonne vetus Ecclesia quosdam intra annum statutos dies habuit, extra quos nefas esset ex Canonum praescripto, et majorum instituto baptismum administrare, nisi mortis periculo, aut aliqua gravi necessitate pressis? In his Paschatis et Pentecostes dies principatum quemdam obtinuisse scimus ex Tertulliano de Bapt. c. 1 « Diem Baptismo solemniorem Pascha praestat ... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est: » scimus ex Hyeronymo Ep. ad Pammachium adv. errores Joannis Hierosolymit. ex S. Siricio Rom. P. (1) ex S. Leone M. (2) ex S. Gelasio I (3) ex Fortunato Venantio lib. III.

(1) Epist. ad Himerium Tarracon: « cum hoc sibi privilegium (dandi, et conseqnendi baptismum) et apud omnes Ecclesias dominium specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat. »

(2) Ep. ad Episc. per Campaniam, Samnium, et Picaenum constitutos « Admonemus igitur .... ut summam hanc potentissimamque Dei gratiam nonnisi in Paschali, et Pentecostes die desiderantibus, et credentibus conferatis ».

(3) Baptizandi sibi qnisquam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam, praeter Paschale festum, et Pentecostes Venerabile

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



carm: 7 (1) et lib. V. c. 4. (2) Graeci addebant Epiphaniam ut patet ex Nazianzeni, et Nysseni Orat. de Baptismo, Joanne Moscho in Prato spirituali c. 214. Ratherio Veronensi Serm. 1 de Quadragesima: cui festivitati baptisma affixum erat apud Afros ut legimus in Victore Vitensi, (3) et apud Siculos ut ex Leone M. constat. Galli baptizari praeterea amabant in die Natali Domini, et S. Joannis Baptistae, teste S. Gregorio Turonensi lib. de Gl. Conf. c. 69 et 76, et lib. VIII Hist. Francor, c. 9, et in quibusdam locis etiam dies festi Apostolorum, Martyrum, Dedicationis Ecclesiae ad id opus eligebantur, ut videre est in citt. Ep. SS. PP. Siricii, et Leonis Magni, et in pervetusto Serm. cujus stylus S. Caesarium Martenio repraesentare videtur: quomodo ergo dici potest Ecclesiam semper fuisse sollicitam de parvulorum baptismate accelerando?

117 Hanc difficultatem praeoccupaverat S. Tho-

Sacramentum, excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu: in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis aegrotans, exitio praeventus abscedat ». Epist. IX ad Episc. Lucaniae c. X.

(1) Ubi de solemnitate Paschali, ita canit:

« Rex sacer ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cum puras animas sacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat
Et grege de niveo gaudia Pastor habet ».

(2) Ubi de Judaeis a S. Avito Arverniae Episcopo baptizatis in die Pentecostes:

« Ecce dies aderat, quo Spiritus almus ab alto
Missus Apostolicis fluxit in ora viris.
Lex Sacra ruricolas, urbanos excitat omnes
Certatimque aditus ad pia festa ferunt.
Abluitur Judaeus odor baptismate divo
Et nova progenies reddita fertur aquis.

(3) Lib. II de persecut. Vandalica.

mas 3 P. q. 68 art. 3 « Videtur, quod baptismus sit differendus. Dicit enim Leo Papa: « Duo tempora, i. e. Pascha, et Pentecostes ad baptizandum a Romano Pontifice praefixa sunt, unde dilectionem vestram monemus ut nullos alios dies huic observationi misceatis. » Videtur ergo quod oportet non statim aliquem baptizari, sed usque ad praedicta tempora baptismum differri » En autem quomodo eam solvat : « Ad primum dicendum quod illud mandatum Leonis Papae de observandis duobus temporibus in baptismo, intelligendum est de adultis, excepto tamen periculo mortis, quod *semper* in pueris est timendum. » In corpore autem articuli egregie explicat cur solemniores illi dies non pro pueris, sed pro adultis constituti fuerint. « Circa hoc, inquit, distinguendum est, utrum sint baptizandi pueri, vel adulti. Si enim pueri sint baptizandi, non est differendum baptisma. Primo quidem quia non expectatur in eis major instructio, aut etiam plenior conversio. Secundo propter periculum mortis : quia non potest eis alio remedio subveniri nisi per Sacramentum baptismi. Adultis vero subveniri potest per solum baptismi desiderium ... Et ideo adultis non statim cum convertuntur est Sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus. Primo quidem propter cautelam Ecclesiae, ne decipiatur, Sacramentum ficte accedentibus conferens, secundum illud I. Jo. 4. « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: » quae quidem probatio sumitur de accedentibus ad baptismum: quando per aliquod spatium eorum fides et mores examinantur. Secundo hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc quod plene instruantur de fide, et exerci-

tentur in his quae pertinent ad vitam christianam: Tertio hoc est necessarium ad quamdam reverentiam Sacramenti, dum in solemnitatibus praecipuis, scilicet Paschae, et Pentecostes homines ab baptismum admittuntur, et ita devotius Sacramentum suscipiunt. » (1)

118. Revera haec distinctio adultorum ab infantibus, et istorum exceptio a veteri observantia, ac disciplina protelandi baptismum ad quosdam solemniores dies expresse continetur in Epist. S. Siricii ad Himerium « Sicut sacram ergo paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam, ita infantibus, qui nedum loqui poterunt per aetatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacra unda baptismatis omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat auimarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de seculo et regnum perdat, et vitam .... Praefatam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui no-

(1) Hanc Angelici Praeceptoris responsionem placet confirmare recentiori duorum virorum testimonio, qui de priscis Ecclesiae ritibus data opera scripserunt, Edmundi inquam Martenii, et D. Martigny: quorum prior enarratis experimentis, et exercitationibus, olim a fidei candidatis baptismo praemitti s. litis « Quae (ait) de Cathecumenatus tempore hactenus dicta sunt, ea potissimum respiciunt adultos, quorum sincerum in fide persaverandi propositum aliqua dilatione probandum erat. At longe alia existebat ratio infantiam, qui cum nullis gentium superstitionibus essent imbuti, nullos ab animo deponendos errores haberent, nullis essent vitiosis passionibus obnoxii, nulla indigebant probatione, ac proinde statim eos posse baptizari, ac saepe baptizatos esse in ipso nascentis Ecclesiae exordio, constans est SS. PP. traditio » de Bapt. lib. I. cap. I. art. VIII § VI. Alter exhibito censu dierum baptismati assignatorum : « Il ne se agit ici, inquit, que du baptême solennel ; quant au baptême privé il s'administrait, des les premier siècles, toutes le fois, que la nécessités l'exigeait, et sans distinction de jours ». Addimus Fleuryum in Disciplina populi Dei c. 2 « Liberis Parentum Christianorum etiam ante usum rationis imo ante octavum a Nativitate diem, simulatque a parentibus offerebantur, baptismi copia fiebat ».

lunt ab Apostolicae petrae super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli. » Et haec parvulorum exemptio semper intelligenda est in hujus generis sanctionibus, in quibus manifeste non exprimitur. Semper enim in parvulis praesumendum est periculum mortis, ut optime docet S. Thomas : et confirmant omnes leges a Cypriani aetate ad haec usque tempora latae ad urgendum baptismum infantium, et res ipsa clamat. Nam apud Thessalos, qui praefatae disciplinae tenacius haerebant, plurimi e vivis absque baptismo abripiebantur. Rem narrat Socrates H. E. lib. V. c. 22 (*) « Aliam quoque, consuetudinem in Thessalia vidi. Solis diebus Paschae illic baptizant. Ex quo fit, ut plerique apud illos absque baptismo moriantur, »

## CAPUT ULTIMUM

*De multiplici paedobaptismi convenientia, et utilitate.*

Praxis baptizandi parvulos in ea qua nunc obtinet extensione, sapientiam, ac providentiam Ecclesiae unice decet – Ejus convenientia cum voluntate Dei salvifica, et cum ordine reparato. – Cum charitate Ecclesiae, et pietate parentum. – Cum utilitate Religionis, ac Fidei.

119. Nunc denique ut incaeptam lucubratiunculam absolvam, demonstrandum superest, praxim baptizandi parvulos solam esse, quae congruat illi sapientiae normae, ad quam Ecclesia suam agendi rationem semper exigit.

120. Praxis enimvero quae 1° congruit cum Divina voluntate, atque aeconomia Redemptionis: quae 2.° ma-

(*) Καὶ ἄλλο δὲ ἔθος εν Θεσσαλίᾳ οἶδα γινόμενον· Ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ Πάσχα μόνον Βαπτίζουσι. Διὸ σφόδρα πλὴν ὀλίγων, οἱ λοιπὸ μὴ βαπτισθέντες ἀποθνήσκουσιν.

xime consentanea est pietati parentum, charitati Ecclesiae, natisque parvulis absolute, ac simpliciter utilissima: quae 3.° cedit in bonum ipsius Fidei ac Religionis, ejusmodi, inquam praxis, dicenda est apprime, et exclusive consona regulae sapientiae, ad quam Ecclesia actiones suas dimetiri solet: atqui talis est praxis quam defendimus Ecclesiam inde ab Apostolis in administratione Baptismi servasse; ergo hujusmodi praxis tum plene, tum unice respondet illi sapientiae normae, qua Ecclesiam regi in actibus suis quisque fatetur.

121. 1.° Certum est Deum velle omnium hominum perditorum salutem voluntate vera, ac sincera; ideoque dedisse Filium suum Unigenitum in similitudinem carnis peccati, qui sua sanctissima Passione, ac morte, dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus, et novus Adam de coelo caelestis, omnes excessu quodam gratiae vivificavit, et redemit, quos vetus ille peremerat, et dirissimae addixerat servituti. Mirificam hanc aeconomiam exhibet Apostolus ad Rom. V. v. 15 et seq. « Non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis J. C. in plures abundavit. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. Ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gra-

tia regnet per justitiam in vitam aeternam per J. C. Dominum Nostrum » Ex hac generali salutifera Dei voluntate, et uberrima J. C. redemptione, plurima remedia salutis, innumera gratiae auxilia profluunt in humanum genus: sed unicum quod ad parvulos ordinarie pertineat est Baptismus: qui idcirco ex benignissima Dei voluntate ita institutus est, ut remoto quovis obstaculo, nullo negotio posset illis adhiberi: nulla ex parte infantium requisita praevia dispositio: sed omnibus universim collata salutaris remedii capacitas: aliorum petitione, fide, promissione salvantur, qui ex aliena voluntate mortem contraxerant. Ex parte igitur Dei summa cernitur propensio pro salute infantium universim, ac sine ulla exceptione. Eccur igitur Ecclesia Divinae voluntatis ministra, et divinorum munerum dispensatrix, parvulis denegabit unicum remedium ipsis praeparatum, vel ad aliquam parvulorum classem restringet, quod omnibus indiscriminatim suapte natura necessarium est, et divina bonitate accommodatum? cur susceptionem istius remedii ad adultam remittat aetatem, in qua alia plura percipi possunt? nonne satius se gerit, si praxim sectetur quae exprimat amplitudinem Voluntatis salvificae, atque Ordinis reparati? Talis autem est praxis baptizandi universim nuper editos infantes: ergo haec, et non alia, congruit cum divina voluntate, et aeconomia Redemptionis.

122. 2.° Est consentanea pietati parentum, et caritati Ecclesiae erga parvulos. Nam etiamsi praescindamus a periculo, cui expositi manent infantes, quousque baptismate carent, non leve certe argumentum pro sapienti praxi eos baptizandi, ducitur ex bonorum copia qua baptizati honestantur. Inserti enim Christo Capiti

per baptismum, statim de Illius influxu participant, atque e statu mortis regenerantur ad vitam, e captivitate diaboli erepti in libertatem filiorum Dei asseruntur, e potestate tenebrarum transferuntur in Dei lumen, et regnum: quique in Adam gratia originali nudati erant, statim ac Christum induunt, innocentiae stola nitescunt, et virtutum theologicarum habitibus decorantur. (*) « Baptismus, inquit Nazianzenus Or. in S. Bapt. N. III splendor est animarum, vitae in melius commutatio, conscientiae ad Deum interrogatio, Baptismus infirmitatis nostrae adjumentum, Baptismus carnis est abjectio, Spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis comunicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, caelestis regni clavis, vitae commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum praeclarissimum est, et praestantissimum. Etenim ut quaedam Sancta Sanctorum vocantur, et Cantica Canticorum (quod scilicet latius pateant, ac plura comple-

(*) Τὸ φώτισμα, λαμπρότης ἐστὶ ψυχῶν, βίου μετάθεσις, ἐπερώτημα τῆς εἰς Θεὸν συνειδήσεως· τὸ φώτισμα, βοήθεια τῆς ἀσθενείας τῆς ἡμετέρας· τὸ φώτισμα, σαρκὸς ἀπόθεσις, Πνεύματος ἀκολούθησις, Λόγου κοινωνία, πλάσματος ἐπανόρθωσις, κατακλυσμὸς ἁμαρτίας, φωτὸς μετουσία, σκότους κατάλυσις· τὸ φώτισμα, ὄχημα πρὸς Θεὸν, συνεκδημία Χριστοῦ, ἔρεισμα πίστεως, νοῦ τελείωσις, κλεὶς οὐρανῶν βασιλείας, ζωῆς ἄμειψις, δουλείας ἀναίρεσις, δεσμῶν ἔκλυσις, συνθέσεως μεταποίησις· τὸ φώτισμα (τί δεῖ πλείω καταριθμεῖν), τῶν τοῦ Θεοῦ δώρων τὸ κάλλιστον καὶ μεγαλοπρεπέστατον. Ὥσπερ γὰρ Ἅγια ἁγίων καλεῖταί τινα, καὶ Ἄσματα ἀσμάτων (ἐμπεριεκτικώτερα γάρ ἐστι καὶ κυριώτερα)· οὕτω καὶ αὐτὸ παντὸς ἄλλου τῶν παρ' ἡμῖν φωτισμῶν ὂν ἁγιώτερον.

ctantur, praecipuamque dignitatem habeant) eodem modo Baptismus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes sanctitate superet. » Ecquis porro ambigat, longe sapientius esse tot bonis honestare parvulos, quam eos divulsos a Christo, squalentes, et inopes ad adultam usque aetatem relinquere?

123. 3.° Praxis de qua loquimur cedit in emolumentum ipsius Fidei, ac Religionis, 1.° quia ut docet Angelicus, qui a teneris baptizantur, disponuntur, ut illis stabilius adhaereat Religio, dum in his quae sunt christianae vitae nutriti, firmius in ea perseverant, secundum illud Prov. 22. « Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea » et hanc rationem assignat auctor Ecclesiasticae hierarchiae c. ultimo. 2.° quia majori filiorum numero lactatur Ecclesia si statim a nativitate admittat homines ad salutare lavacrum, quam si eos in adulta aetate baptizet.

124. Jamvero haec aliaque rationum momenta non ex aliqua speciali consideratione temporum, et locorum, sed ex indita conformitate cum regula sapientiae, postulant procul dubio, ut dilationi baptismi, ejus accelerata in infantia collatio praeferatur.

125. Fatemur enim adultos scientes ac libere ad Baptismum accedentes, et meritum sibi acquirere, et majori alacritate jugo Christi cervicem inflectere, et propensiori certe animo futuros ad promissa quae ipsi libentes emiserint. Quapropter si res in abstracto consideretur, et comparatione instituta inter Baptismum adultorum, et infantium sub hoc praecise respectu, quod illa includat usum libertatis, activitatis exercitium, cooperationem cum gratia; alter supponat utique subjectum capax, sed inscium plane, iners, et mere passivum, si a me quaeratur quinam sit anteferendus, primum

certe, dicam, in quo ritui sacramentali sociatur actio suscipientis. Sed aliter omnino sentiendum erit, si Baptismus Baptismo in concreto conferatur, et rationes quae pro utroque militant aequa lance pensitentur : illae nempe, et numero, et pondere manifeste praepollent, quae parvulorum baptismum commendant. « Quamvis negari non possit, inquit apposite Suarez, (1) quin ceteris paribus perfectior modus sanctificationis, et susceptionis baptismi sit per proprium consensum, propriamque dispositionem : tamen hoc solum habet locum supposita capacitate : tamen propter alias causas majoris momenti non expedit illam capacitatem expectare : sed melius est prius sanctificari modo illi aetati accommodato, et postea per propriam dispositionem, ac meritum in sanctitate crescere, ac confirmari » Quam sententiam in Ecclesia Catholica traditionalem, Concilium Tridentinum Sess. VII. de Baptismo c. XIII. fidei dogmatibus inseruit, his verbis » Si quis dixerit .... praestare omitti eorum ... (parvulorum) baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae, anathema sit. »

126 Et haec de Baptismate infantium in primitiva Ecclesia dicta sufficiant. Aliquid fortasse melius dedissem si alienos hac de re labores consulere potuissem: sed praeter dissertationem Acami de Poedobaptismo solemni in pervigiliis Paschae et Pentecostes, alias de eodem argumento diu quaesitas habere non potui. Itaque his auxiliis destitutus, aliqua minus recte scripserim, et utinam pauca! sed tu, benevole lector « Quae vera esse perspexeris tene, et Ecclesiae Catholicae tribue; quae falsa respue, et mihi, qui homo sum, ignosce. » D. August. de Ver. Relig. c. X n. 20.

(1) De Bapt. Disp. XXV sect. 2.

# INDEX

Pag.

Lectori benevolo . . . . . 1
Praefatio . . . . . 1

CAPUT I.

Praxis paedobaptismi stabilitur testimoniis trium priorum saeculorum.

§ I.

Clementis Romani testimonio cur non utimur - Hermae locus pro paedobaptismo satis efficax - Pueri in ipso nascentis Ecclesiae exordio disciplina christiana imbuti, inter fratres credentes adlecti - Justinus - Acta S. Andreae Apostoli - Relatio Plinii ad Trajanum . 5

§ II.

Eadem praxis communis in Ecclesia, vulgataque ostenditur II ac III saeculo - Irenaeus - Tertullianus - Recognitiones Clementinae - Constitutiones Apostolicae - Origenes - Fidus - Cyprianus - Synodus Carthaginensis . . . . . 9

§ III.

Disquiritur mens Tertulliani circa paedobaptismum - Qui Tertullianum interpretantur de pueris gentilium ditioni subjectis non videntur ejus mentem assequi - Communior, et verior interpretatio de baptismo universim ad adultam aetatem differendo - Hanc opinionem vix

Pag.

exortam Ecclesia Africana rejecit - Schola catholica universa Tertullianum desertorem traditionis hac in parte pronunciat . . . . . 21

CAPUT II.

Usus paedobaptismi tribus insequentibus saeculis undique receptus ostenditur.

§ I.

Usum paedobaptismi ubique in Ecclesia dominantem IV saeculo ostendunt S. Zeno Veronensis - S. Optatus Milevitanus - S. Pacianus Barchinonensis - S. Ambrosius Mediolanensis - S. Basilius Magnus - S. Gregorius Nazianzenus - S. Joannes Chrysostomus - S. Didymus Alexandrinus - S. Asterius Amasenus - S. Epiphanius Constantiensis - B. Hieronymus Theologus Graecus - S. Philastrius Brixiensis - S. Hilarius Pictaviensis - S. Siricius R. P. - Concilium Carthaginense - Canon Concilii Nicaeni ex Arabica versione redditus ab Abraham Ecchellensi . . . . . 33

§ II.

Expenduntur loca quaedam ex Lactantio, ac S. Gregorio Theologo circa baptismum infantium . . . . . 52

§ III.

Praevia distributione PP. scriptorumque saeculi V in duas classes, quarum alia ad controversiam Pelagianam referatur, alia sit ab ea sejuncta, ex hac primum suffragia in rem nostram desumimus - Legatio Concilii Carthaginensis ad Anastasium, et Venerium - S. Hieronymus - Joannes Cassianus - S. Leo Magnus - Epistola Encyclica Felicis III - Confessio sub Prosperi Aquitani nomine vulgata - Alcimus Avitus Viennen-

Pag.

sis - Joannes Diaconus - S. Petrus Chrysologus - Victor Vitensis - S. Isidorus Pelusiota - Thoodoretus - Auctor Quaestionum, et Responsionum ad orthodoxos - Quaestiones pseudo-Athanasianae . . . 58

§ IV.

Sequitur probatio ex PP. ac monumentis V saeculi ad controversiam Pelagianam pertinentibus - Pelagianae haereseos conditores agnoscunt, et fatentur universalem Ecclesiae praxim baptizandi parvulos - Exinde Catholici Doctores validissime insectantur Pelagianos S. Augustinus - S. Hieronymus - Paulinus Diaconus - Auctor Epistolae ad Demetriadem - Faustus Rhegiensis - Auctor praedestinati - Auctor libri de Vocatione gentium - S. Prosper Aquitanus - Gennadius Massiliensis - Testimonia RR. P, - S. Caelestinus - S. Zosimus - S. Gelasius - S. Innocentius I. Concilium plenarium Carthaginense . . . . . 69

§ V.

Probatio ex testibus, ac monumentis VI saeculi - S. Gregorius M. - Concilium Matisconense - Concilium Antissiodorense - S. Fulgentius Ruspensis - Auctor libri de Ecclesiastica Hierarchia - Reliqua monumenta, ac testes indicantur. . . . . 81

CAPUT III.

*Monumenta liturgica utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis, aliaque ex Sacra Archaeologia deprompta ostendunt morem baptizandi parvulos, ubique, ac sine distinctione penes primitivos fideles obtinuisse.*

Sacramentarium Gelasianum - Gregorianum - Missale Mozarabicum - Codices Mss. latini - Codex Vaticanus Arabicus - Rituale Armenorum - Ordo Cophtorum,

Pag.

et Aetiopum - Chaldaeorum - Hierosolymitanus - Epitaphia puerorum, puellarumque - Carmina ad fontes baptismales - Conclusio . . . . . 90

## CAPUT IV.

*De causis dilati apud veteres baptismi perperam assignatis*
Dilatio baptismatis apud veteres complures nequit referri ad conditionem temporum, neque ad aliquam Ecclesiae aeconomiam - Argumenta Witringae examinantur, ac dissolvuntur . . . . . 97

## CAPUT V.

*De causis dilati baptismi apud veteres historice investigatis*
Dilatio baptismi aevo persecutionum fere ignota a quarto potissimum saeculo frequentari caepta - Motiva dilationis historice exponuntur - Ea passim a Patribus reprehensa, et improbata - Relaxatae hac in re veteris disciplinae origo investigatur. . . . . 103

## CAPUT VI.

*De natura, et origine paedobaptismi*

### § I.

Praxis paedobaptismi qua late patet est origine divina, propagatione Apostolica - Characteres divino-apostolicae traditionis in ea reperiuntur - Sententia Patrum - Augustini expressa probatio - Mandatum divinum baptizandi omnes gentes complectitur etiam infantes - Illud Apostoli secundum hanc generalitatem executioni mandarunt. - Loca biblica huc spectantia exemplis similibus declarantur . . . . . 122

Pag.

§ II.

Exposita paedobaptismi origo excludit juridice aeconomiam, quam nonnulli primitivae Ecclesiae contra historiae veritatem affingunt - Sententia Augustini - Ipsa paedobaptismi natura, praesumptam aeconomiam juridice excludit - Actualis Ecclesiae praxis in suo fundamento est perpetua, et immutabilis. - An antiqua Ecclesia longiores quam nunc, puerorum baptismo moras necteret? 129

## CAPUT ULTIMUM

*De multiplici paedobaptismi convenientia, et utilitate.*

Praxis baptizandi parvulos in ea qua nunc obtinet extensione, sapientiam, ac providentiam Ecclesiae unice decet - Éjus convenientia cum voluntate Dei salvifica, et cum ordine reparato. - Cum charitate Ecclesiae, et pietate parentum - Cum utilitate Religionis. ac Fidei . . . . 136

A. M. D. G.

IMPRIMATUR

Fr. Raph. Arch. Salini O. P. S. P. A. M. Socius

---

IMPRIMATUR

Joseph Angelini Archiep. Corint. Vicesg.

---

NIHIL OBSTAT

P. Camillus Guardi Vic. Gen. CC. RR. Infirmis Ministr.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

3333 265.1. R37

AUTHOR
Risi, Francesco

TITLE
De Bantismo Parvulorum.